

igitur bonus ille defensor meus prolatam licet a mendacibus veritatem negare non posset, nec tamen me deserere vellet, consumpsi in immenso labore ac formidine totam hanc noctem. Qua transacta, aurora, ut credo, dante diei principium, expergefactus ad me redii. Nunc quia plene intelligo multam mihi a Deo hac visione impensam misericordiam, ut fateri me velit, quod tacere decreveram, detegam Deo cuncta ex integro, tibi que, Pater, nec ultra meam animam parata salute fraudabo. His dictis ad constendum rursus conversus, quid-

A quid exhauriendum reliquerat totum per Dei gratiam exhaustit. Expleta veraci et devota confessione, absolvi pro officio fratrem et oleo sacro inunctum, Christi corpore ad æternam vitam obtinendam resectum, Deo et fratrum precibus intente commendavi, sicque valefaciens ei, cum sociis recessi. Dehinc ut Cluniacum veni, paucis interjectis diebus, ejus decessum audiens, et sibi debita quæ ad animam pertinent beneficia a fratribus sollicitè reddi rogavi, et plura supra debitum addidi.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

SERMONES.

SERMO PRIMUS.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 1251.)

Hodie, dilectissimi, solito serenior nobis dies illuxit, quando cœlestè lumen in terris emicuit, quando vera lux mortalium tenebras illustravit, quando divinus fulgor humanis sæculis se visibilem etiam corporaliter demonstravit. Hodie æternus Sol, carneæ infirmitatis paululum remota caligine, per mortale adhuc corpus novo et stupendo miraculo mirabiliter radiando effulsit. Hodie Verbum caro factum, carnis ejusdem sibi unitæ deificationem, vultus et vestium clarificatione ostendit. Hodie vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre (*Joan. 1*) voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audire (*II Petr. 1*). Hæc est gloria Unigeniti a Patre, cum Pater Unigenitum recognovit, cum eum ignorantibus revelavit, cum eum divinis operibus suum esse Filium demonstravit, cum singulariter hodie clarificavit, cum ab adoptivis eum discernens suum proprie esse filium, de cœlis clamavit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth. 17*). Hic est, inquit, Filius meus. Sunt quidem mihi et alii multi filii per gratiam, sed meus iste Filius est per naturam. Sunt ex tempore, est iste ante tempora. Sunt alii facti, est iste genitus. Qui sic est genitus, ut sit et unigenitus. Et ideo unigenitus, quia de mea substantia, et non plures; sed ipse unus est genitus. Hanc gloriam quasi Unigeniti a Patre Joannes vidit, cum ex Deo Deum cognovit, cum et ipsum in gloria transformatum conspexit, et Patrem de Filio homines instruentem audivit. Ideo ait: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Vidit ipse, viderunt et alii. Audivit ipse, audierunt et alii. Nam et Petrus dixit: *Hanc*

B vocem nos audivimus, cum essemus cum illo in monte sancto (*II Petr. 1*). Quæ utrum viderint, utrum audierint, etiam sancti evangelistæ Matthæus, Marcus, et Lucas testantur: *Assumpsit*, inquit, *Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos* (*Matth. 17*; *Marc. 16*; *Luc. 9*). Tertius enim tantæ visioni testis Jacobus additur, quia secundum ejusdem Domini sententiam: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* (*Matth. 18*). Tantum igitur verbum, tanta visio, tam excellens negotium trium et summorum apostolorum confirmandum erat testimonio. Bene ergo Salvator tres assumit discipulos, ut deitatis Trinitas quæ apparebat, ternario discipulorum numero signaretur. Apparuit quippe ibi Pater in voce, Filius in glorificata carne, Spiritus sanctus in lucida nube: *Ecce*, ait, *nubes lucida obumbravit eos* (*Matth. 17*). Vere nubes Spiritus sanctus: Nubes, quia ab æstu carnalium voluptatum mentes quas obumbrat refrigerat, quia inbre superno quas aridas invenit fecundat; lucida, quia suo fulgore obscura tenebrarum illustrat. De cujus nubis obumbratione et Virgini matri dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. 1*). Videte, fratres, gloriam solemnitatis, videte opus Trinitatis; videte mysterium resurrectionis. Et quare dixi, resurrectionis? Clamat Pater, radiat Filius, obumbrat Spiritus sanctus. Vident hoc apostoli, sed non nisi post octo fere dies. Sic namque, ait Lucas evangelista: *Post hæc verba fere dies octo, et assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem* (*Luc. 9*). Nostis, qui Scripturis sacris animum applicastis, quod senarius numerus malorum præsentium passionem, septenarius animarum requiem, octonarius carnis designat resurrectionem. Nam et sexta die homo

conditus ad laborem nascitur, et Christus probra, flagella, crucem et mortem patitur, et septima a laboribus vacare Deus præcepit, ipseque in assumpta carne liber a passionibus in sepulcro quiescit; et octava resurgens spem nobis resurrectionis et immortalis vitæ contulit.

Hinc igitur non plene post octo dies, sed fere post octo dies, id est nondum transacto octavo die, sed adhuc existente, cœlestem Magistri visionem discipulis manifestat; ad spem resurrectionis æternæ informat, sperare de se quod in ipso vident exemplis melius quam verbis suadet. Propter hoc facies refulsit ut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. Matthæus et Marcus ita scripserunt: *Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem (Matth. xvii; Marc. ix)*. Quare Lucas post octo fere dies, isti post sex dies transfiguratum Dominum dixerunt? Sicut jam dictum, creationi mundanæ sex dies in initio deputati sunt, unde omne tempus præsentis vitæ operationi aptum designant. Nam sicut illis tantum sex diebus Deus omnia operatus est, et sic ab omnibus requievit, ita istis sex ætatibus quæ a mundi initio usque in finem extenduntur, hoc est toto quo hic vivitur tempore, quasi una die, operibus quibus æterna acquiritur requies, insistendum est. De quo die ait ipse Dominus: *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. Venit nox in qua nemo potest operari (Joan. ix)*. Post sex igitur dies discipuli Domini gloriam ejus contemplantur, quia illi æterna tantum Dei visione digni erunt qui istis sex diebus illud Sabbatum præcedentibus non neglexerint, qui operibus divinis institerint, qui hanc diem sibi ad operandum datam vocando in noctem obscurari non sicerint. Oportet ergo illos sex dies laborando integros transire, et Deum deorum in Sion, et Regem in decore suo videre. Unde bene duo evangelistæ post sex dies dixerunt. Lucas vero post octo fere dies dixit, quia sicut præmissum est, præcedente sex dierum in hac vita labore, subsequente in Sabbato sanctarum animarum requie, veniente in octava carnis resurrectione, rapiuntur sancti in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt (*Thess. iv*). Non igitur post octo, sed fere post octo dicit. Qui ergo fere post octo dies dixit, nondum finitum octavum diem dicit. Nondum igitur finito, sed adhuc existente octavo, seipsum glorificatum Dominus discipulis ostendit. A die namque promissionis, quia dixit: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo (Luc. ix)*, usque ad diem redditionis quod promissum fuerat, annumerato primo illo promissionis et ultimo redditionis, octo dies cognoscuntur. Duobus autem illis remotis sex tantum existisse probantur. Nihil ergo dissonum evangelistæ, sed omnia consona, omnia convenientia in horum dierum tam historia quam significatione dixerunt: *Assumpsit eos, inquit, et duxit in montem seorsum (Matth. xvii)*.

A Si Domini transfiguratio sanctorum est futura resurrectio, quid mons excelsus, nisi, superna habitatio? Quid quod seorsum ducuntur, nisi illorum est ad ipsam conscensio? De quo monte, et de qua ascensione ait Propheta in Psalmis: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? (Psal. xiv)*. Item in alio psalmo: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? (Psal. xxiii)*. Recte ergo a Christo in montem discipuli ducuntur, quia post resumpta jam immortalia corpora, ab imis ad sublimia, ab humilibus ad excelsa, a terrenis ad cœlestia sancti ab ipso sublevantur, et ei nunquam ab eo dissociandi in æternum sociantur. Tunc vere ducentur seorsum, quia commista tritico ultra zizania non latebunt, sed ab angelis messoribus ad comburendum in fasciculos alligabuntur; triticum autem Domini jussu seorsum in ejus horreum recondetur. Tunc vere ducentur seorsum, quando secundum similitudinem sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congregantis, eligentur in consummatione sæculi boni pisces in vasa, mali autem foras mittentur. Tunc vere ducentur seorsum, quando in illa resurrectione, in illo ultimo discrimine, Filius hominis, cui omne judicium dedit Pater, separabit bonos a malis, sicut segregat pastor oves ab hædis.

Sed qui sunt, fratres, qui in montem excelsum seorsum dicuntur, Petrus, Jacobus, et Joannes? C Nullus ergo ducitur, nisi Petrus, Jacobus et Joannes. Quare? Nomina ipsa perquirite, et causa protinus apparebit. Petrus enim *agnoscens*, Jacobus *supplantator*, Joannes *Dei gratia* interpretatur. Congruunt autem nomina auctoribus. Quis namque melius Christum agnovit quam Petrus? Qui ipsi interroganti quem discipuli sui eum esse dicerent, respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi (Matth. xvi)*. Et alio in loco: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei (Joan. vi)*. Agnovit ergo Petrus Dominum, unde agnoscens jure vocatur. Quis vero sapientius mundum supplantavit quam Jacobus, qui mundano quæstui cum patre et fratre piscando intentus, mox ut a Christo de navi vocatus est, corporalem in spiritalem, transitorium in æternum, mundanum in divinum quæstum mutavit, et de piscatore piscium piscator hominum fieri meruit. Mundi ergo supplantator non immerito Jacobus dicitur. Quis autem rectius Dei gratia vocabitur, quam Joannes, qui in tantum ejus gratia donatus est, ut inter alia ipsius gratiæ insignia, Virginis matris filius et minister ipsius commendatione fieri meretur, qui supra pectus ejus recumbere, qui deitatis arcana, quantum homini licere potuit, mundo revelare; qui præ cæteris a Magistro diligi, qui quasi proprio quodam vocabulo discipulus quem diligebat Jesus vocari dignus fuit. Apparet ergo quod qui tam excellenter Dei gratiam consecutus est, Dei gratia consequenter vocatus est.

Unde quoniam ista dona in eis singulariter effulserunt, specialiter ad videndam Dei gloriam in montem assumi meruerunt, neque alios, nisi qui tales fuerint, ad talem gloriam contemplandam in futura resurrectione assumendos esse docuerunt. Nullus namque assumetur nisi Petrus, Jacobus et Joannes, hoc est nisi agnoscens, supplantator, et Dei gratia. Qui vult ergo tunc assumi, fiat Petrus, agnoscat necesse est Dominum suum, agnoscat necesse est seipsum; agnoscat eum Creatorem, agnoscat se creaturam; agnoscat opificem, agnoscat se opus; agnoscat Dominum, agnoscat se servum; agnoscat justum, agnoscat se iniquum; agnoscat sanctificatorem, agnoscat se peccatorem; agnoscat Redemptorem, agnoscat se redemptum. Ne dicat ut Pharao: *Nescio Dominum* (Exod. v), ne forte et sibi cum aliis in fine dicatur: *Amen dico vobis, nescio vos* (Matth. xxv). Sed totis viribus annitatur hæc omnia fide agnoscere, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi); et quia *justus ex fide vivit* (Hebr. x), ut sit de ovibus boni pastoris, de quibus ipse ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas* (Joan. x). Et de quibus alibi: *Et cognosco meas, et cognoscunt me meæ* (ibid.). Et de quibus Apostolus: *Cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (Gal. iv). Et quoniam non sufficit fides agnitionis, absque opere dilectionis, nam otiosa est fides, nisi adsit talis fides quæ per dilectionem operatur (Gal. v), sit Jacobus ut supplantet supplantare volentem, decipiat decipere cupientem, diabolum, mundum, peccatum. Diabolus quippe tentat, mundus illicit, peccatum occidit. Unde quia delectando vult fallere, fallendo necare, cauti dolum discamus vitare, ut deprehensa prudenter blandi hostis nequitia, cum Apostolo possimus dicere: *Non enim ignoramus cogitationes ejus* (II Cor. ii). Quibus agnitis et Dei virtute devictis, miles Dei de hoste pessimo gloriose supplantans cum triumphabit, et cum Propheta cantabit: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis* (Psal. xliii). Istis duobus adjungendus est et tertius Joannes, ut rimator celestium visionum advertat nihil se potuisse aut posse, nihil se digne credere aut operari absque Dei gratia, sicut ipse Deus fatetur in Evangelio loquens discipulis: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv). Quod apostolus Paulus confirmat: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit* (I Cor. xv). Et Psalmista: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me; et misericordia tua subsequetur me* (Psal. lviii). Quod si misericordia Dei universa bona hominis prævenit et subsequitur, nullum bonum hominis absque gratia ejus esse posse cognoscitur. Sic Petrus fide Deum agnoscens, sic Jacobus sanctis eum operibus deluso mundo glorificans, sic Joannes, quod in fide et operibus habet, non a se, vel ab alio, sed ejus gratia, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum (Jac. i), se accepisse cognoscens, et gratias

agens, nullo alio admissa divinæ gratiæ secreta soli contemplari merentur. Hi tantum ad æternæ resurrectionis gloriam pervenire, hi in montem excelsum conscendere, hi transfiguratum in majestate Christum videre poterunt, quoniam *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (Philipp. iii), *quando occurremus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Ephes. iv). Tunc multo melior atque perfectior Petro aderit cognitio veritatis, quia sicut Deus per prophetam ait: *Non docebit vir fratrem suum, et vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum* (Jer. xxxi). Tunc Jacobus supplantator, et victor vitiorum gloriosior apparebit, quia nequam ultra terra corporis nostri spinas, et tribulos carnalium voluptatum germinabit; quæ absque ullo in æternum belli periculo a sanctis possidebitur, sicut dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (Matth. v). Tunc enim fiet sermo qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* (I Cor. xv.) Tunc Dei gratiam longe excellentius Joannes obtinebit, quia sicut ipse scripsit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (Joan. i), pro gratia actionis, gratiam retributionis; pro gratia operationis, gratiam glorificationis. Sed et illud ab hac intelligentia non dissentit, quod princeps apostolorum, quod pastor singularis ovium Christi, quod summus post Christum magister Ecclesiæ Petrus, quod Boanerges, id est filii tonitru, Jacobus et Joannes, ut hæc viderint electi sunt, ut et Petri auctoritas ad hoc testificandum dignior fide videretur, et tota Ecclesia in summo Pastore suo, ad videndum Deum sublevanda signaretur et intonantem de cœlis Patrem audientes Jacobus et Joannes congruenter filii tonitru vocarentur.

Propter omnia ista *assumpsit* solummodo Jesus Petrum et Jacobum et Joannem, et duxit eos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos. *Et resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (Matth. xvii). Quid tu ad ista, o homo? An surdis hæc auribus audis? An tanta tui Conditoris beneficia ingratus prospectas? An non ita erga te sollicitam Divinitatem stupendo miraris? Te, cum non esses, gratuita bonitate, ut sempiternæ illi adhærendo beatus esse posses, creavit; tibi cœlum, terram, mare; tibi omnia quæ in eis sunt, tibi universam molem mundi fecit atque subjecit; tibi, quod his omnibus longe excellentius fuit, æternæ morti subdito et inter mundi mala innumera deficienti, natus in tua carne, passus et mortuus est. Et ut salutaribus Domini et Dei tuis, nitis credere non differres, mirandis operibus sibi a te dari fidem coegit. Inde est quod cæcos illuminavit, quod leprosos mundavit, quod omnes hominum morbos curavit, quod ipsos quoque mortuos suscitavit, quod super tumentes

marinarum undarum moles illapso gressu deambulavit, quod elementis imperavit, quodque hanc eandem miraculorum potentiam omnibus in se vere credentibus concessit. Hinc est quod hodie, ut dixi, in carne corruptibili transformatus, tuum quoque corruptibile incorruptionem, tuum mortale immortalitatem induere posse monstravit. Nam sicut ipse facie refulsit ut sol, ita te posse fulgere ostendit, ubi ait : *Tunc justī fulgebunt sicut sol in regno Patris sui (Matth. XIII)*. Si igitur justus fueris, fulgere et tu sicut ipse poteris. *Facta est facies ejus sicut sol*. Quid mirum si facta est facies ejus sicut sol, cum ipse sit sol? Quid mirum si Solis facies facta est ut sol? Sol erat, sed sub nube latens, et tunc nube remota ad modicum refulgens. Quid est nube remota? Non carne, sed carnis infirmitate ad momentum sublata. Hæc est nubes, de qua propheta ait : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem (Isa. XIX)*. Nubes caro tegens divinitatem; levis, nullam ferens iniquitatem. Nubes, celans divinum fulgorem; levis, in æternum et ipsa levata splendorem. Nubes, quia ut in Canticis legitur : *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi (Cant. II)*; levis, quia caro est Agni qui tollit peccata mundi. Quibus sublatis levatur mundus in alta cœlorum, nullo jam pressus pondere peccatorum. Hæc carnis nube tectus Sol, non iste sol qui oritur super bonos et malos, sed Sol justitiæ qui oritur tantum timentibus Deum. Hæc certe carnis nube adopena lux, quæ illuminat omnem hominem, hodie resplendit, hodie ipsam carnem glorificans, et deificatam ostendens apostolis per seipsum, et per apostolos mundo revelavit. Hujus solis contemplatione, et tu beata Civitas, in æternum perfrueris, quando descendens de cœlo a Deo parata, sicut sponsa viro ornaberis. Iste Sol ultra tibi non occidet, sed idem semper manens perpetuum mane serenat. Iste Sol jam nulla nube tegitur, sed indefesse rutilans assidua te luce jucundat. Iste Sol non jam tuos oculos reverberat, sed ad se videndum confortans, divino fulgore delectat. Iste Sol nullam eclipsim patitur, quia fulgor ejus nullo tuo dolore interrumpitur. *Nam non erit ultra, neque mors, neque luctus, neque dolor, neque clamor, quæ obscurare possint a Deo tibi datum splendorem, quia sicut Joanni de cœlo dictum est : Hæc prima abierunt (Apoc. XXI)*. Iste est Sol, de quo per prophetam dicitur : *Non erit tibi sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed Dominus Deus tuus erit tibi in lucem sempiternam (Isa. LX)*. Hæc est tibi lux sempiterna, quæ de Domini facie refulget. Audis Domini vocem, audis ut sol fulgentem Domini faciem; in facie per quam quisque cognoscitur, ejus agnitionem, in fulgore agnoscentium intelligite illuminationem. Hic enim fide a te creditur, ibi ipsa cognoscetur. Hic intellectu capitur, ibi comprehendetur. Hic vides per speculum et in ænigmate, ibi autem videbis facie ad faciem (I Cor. XIII). Tunc cum vere sicuti est agnoscens æterno hujus Solis splendore sempiternæ

A irradiaberis, feliciter illuminaberis, excellentissime illustraberis. Tunc ita vultu Domini super te resplendente implebitur quod optaverat ante Propheta, dicens : *Illuminet vultum suum super nos (Psal. LXVI)*.

Sed quomodo vultus ejus illuminabitur, qui nunquam lumine caruit, qui ipsum lumen est, quod illuminat omnem hominem? Non, inquam, illuminabitur vultus Dei in se, sed illuminabitur super te, super te illuminabitur, quia tibi lucebit, tibi fulgebit, tibi splendet. Propterea distincte protulit hoc Propheta, dicens : *Illuminet super nos*. De hoc lumine et alibi ait : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt (Psal. LXXXVIII)*.

B Hic ergo vultus est facies Domini, quæ ut sol in monte resplendit, quæ ut sol in cœlo fulgebit. In cujus veræ agnitionis lumine perpetuo ut dictum est exsultabis. In cujus lumine infatigabiliter ambulabis. In cujus lumine perpetuum lumen videbis. Propter hoc ait Evangelium : *Facta est facies ejus ut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix (Matth. III)*. Qui Christi vestimentis nisi proxime illi fide et moribus adhærentes signantur? Qui licet non sint quod ipse, sunt tamen ubi et ipse. Unde et alibi Patri ait : *Pater, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum (Joan. XVII)*. Sunt autem alba ipsa vestimenta sicut nix. Non enim tanta faciei claritas aliquid circa se obscurum recipit. Fulget facies, nitent vestimenta. Quo nitore? Tanto fulgori congruo. Et quis nitor tanto fulgori congruit? Quis nisi niveus? Quid namque sole fulgentius, quid nive candidius? Hoc candore niteant necesse est vestimenta; sed candor vestibis multo studio et labore acquiritur. Non possunt plane vestes ad candorem congruum pervenire, nisi igne coquantur, aqua abluantur, herbarum succo inficiantur. Hæc tria sicut sunt necessaria carnis indumento, ita sunt adhibenda Christi vestimento. Dixi vestem Christi esse fideles Christi. Quis est ergo huic vesti necessarius ignis, quæ est aqua, quæ sunt herbæ? Ignis est ille comburens noxia, illuminans tenebrosa. Quis ille? De quo Joannes : *Ego baptizo vos aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu sancto et igni (Joan. I)*. Quis vero iste sit ignis ascensus in cœlum Dominus discipulis indicat, dicens : *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto (Act. I)*. Iste igitur ignis est Spiritus sanctus. Quæ aqua? Baptismatis et lacrymarum. De baptismatis aqua Dominus in Evangelio, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc. (Joan. III)*. De lacrymarum aqua Psalmista : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (Psal. VI)*. De utraque alius propheta : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (Ezech. XXXVI)*. Igne ergo spiritus accenduntur corda, fervescunt in Deum desideria, curritur primo ad baptismum, fervet aqua ad vestem mundandam ignis ardore;

sanctificatur et ista ad animam purgandam spiritus virtute. Abluitur aqua illa quidquid sordium animæ adhæserat, reddatur homo novus, albis novisque induitur vestibus, ut et ipse in spiritu candidatus, et renovatus, aptus appareat in Christi corporis vestimento. Hæc vestis sic mundata, si postmodum inquinetur, non aqua baptismatis, quæ non novit nisi semel mundare, sed secundo lacrymarum fonte purganda est, qua et Petrus negationis maculas abluit, et Maria Domini pedes rigando, vitiorum flammam exstinxit; et Dominus ipse sororum lacrymis Lazarum ipsarum fratrem mortuum suscitavit. Sed sicut primus fons sine spiritu nihil potest operari, ita nec secundus sine illo quidquam valet impetrare. Quod enim sine spiritu nihil sit illud, innuit Dominus, qui cum dixisset: *Nisi quis renatus ex aqua et spiritu* (Joan. III): Postmodum nullam aquæ faciens mentionem, adiunxit: *Quod natum est ex spiritu, spiritus est* (ibid.), auctorem illius regenerationis ostendens spiritum, et sine spiritu nihil esse aquam nisi frigidum et humidum elementum. Quod vero poenitentiae lacrymæ non nisi ex eodem spiritu fundi possunt demonstrat Apostolus dicens: *Ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus* (Rom. VIII).

Agnovimus ignem, agnovimus aquam, vestem Christi purificantem, et rursus inquinatam mundantem. Perquiramus et herbam huic operi necessariam. Quæ ergo esse poterit, nisi illa de qua ait Propheta: *Asperges me hyssopo, et mundabor?* (Psal. LI.) Et quare illam præ cæteris elegit? Quia est herba humilis, non petit alta, fastidit celsitudinem, amplectitur humiliationem. Quod igitur habet illa ex natura, hoc mundandum oportet habere ex gratia. Sicut enim nullum per aquam mundat Spiritus, nisi poeniteat, sic nullus poenitet nisi qui se humiliat. Est ergo herba humilitas, qua per aquam et spiritum omnis deletur iniquitas. Istis mundari necesse est vestem Christi; istis purgari expedit indumentum Domini. Istis candidari oportet velamentum illud, quo Dei Filius in claritatis divinæ majestatem transformatus ornandus est. Et tu igitur, qui Christo adjungi exoptas, labora, exerce teipsum, castiga corpus tuum et servituti subijce; D abluere quidquid foedum, quidquid immundum, quidquid tegumento corporis Christi indignum est, et remotis vitiorum omnibus informitatibus niveum tibi virtutum adhibeto candorem dicens Deo cum Propheta: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (ibid.). Nec mireris, si nondum gloria hujus beati candoris in te manifestatur. *Quoniam per fidem ambulamus, non per speciem, etc.* (II Cor. V.) *Scimus quia nondum apparuit quid erimus; sed cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I Joan. III); et: *Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria* (I Coloss. III). Hæc innuens Marcus ait: *facta sunt vestimenta ejus alba, qua-*

lia fullo super terram non potest candida facere (Marc. IX). Super terram quippe hæc gloria acquiritur, sed non super terram redditur. In cælo igitur, non in terra, exspectanda sunt ista, in resurrectione, non in mortalitate accipienda sunt ista, quando qui promeruerunt, erunt sicut angeli Dei in cælo, quando suos sibi ut vestimentum aptabit Christus ad gloriam et decorem, quando implebitur quod per Prophetam dictum est: *His omnibus velut ornamento vesticris* (Isa. XLIX). Huic tamen Christi indumento, unde candor accidit videtur. *Qualia inquit, fullo non potest facere.* Nostis frequenti fullonis percussione, assidua conculcatione vestibus addi candorem. Fullonis ergo conculcatio est superbiorum qua sanctos contemnant despectio, de qua Propheta in Psalmo: *Multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, et despectio superbis* (Psal. CXIII). Ejus ergo continuata percussio est iniquorum, qua eos quotidie alterunt, persecutio. Sed hac compressione, hac persecutione, licet multum in præsentia affligantur, ad Domini tamen ornamentum eisdem suis proficientes, candificantur, et ut in regni manifestatione Regi suo, ut regia byssus adhæreant, adaptantur. Unde et de iis dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. V).

Et ecce apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes (Matth. II). Apparent Moyses et Elias cum Christo, junguntur lex et prophetæ Evangelio. Alloquuntur præsentem quem ante prædixerant absentem: *Et narrabant, ait evangelista, excessum ejus quem habiturus erat in Jerusalem* (Luc. IX). Agnosce quod non idcirco excessum suum Domino narrabant, ut eum docerent quod ignorabat, qui nihil ignorare poterat, sed ut illos esse adverteres, de quibus ipse Dominus post excessum et resurrectionem suam discipulis dixit: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege et prophetis de me* (Luc. XXIV). Quod enim Moyses de eo scripserit, testatur ipse loquens ad Judæos: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit* (Joan. V). Quod vero Elias primum ejus adventum sublimiter prophetando præcucurrerit, certum est. Sed quod secundum sublimius præcursor sit, vox Dei per prophetam loquens indicat: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (Malac. IV). Et Dominus ad discipulos: *Elias venturus est, et ipse restituet omnia* (Matth. XVII).

Apparent, inquit, Moyses et Elias cum eo. Attendite, fratres, magnum sacramentum. Attendite, et admiramini novum miraculum. Videte cur præ cæteris Patribus et prophetis, in hac cœlesti visione hi specialiter Domino adjungantur. Scriptum est de Moyse: *Erat Moyses vir mitissimus inter omnes qui morabantur in terra* (Num. XII). Cujus admirabilis mansuetudinis quis melior quam

ille Judaicus populus erit assertor? Quem cum ipse jussu Dei per terrificam signa de Ægypto eductum pedestri itinere per mare transduxisset, cum super littus maris divina virtute extinctos inimicos ostendisset, cum eum per tantum temporis in deserto manna cœlesti pavisset, aqua sæpe de petra producta potasset, carnibus vento famulante allatis saginasset, pro eis innumeris se mortibus objecisset; post ista, inquam, omnia, quid ab illis gratiæ meruerit audistis. Congregati pariter in eum irruerunt, contumeliis plurimis eum affecerunt, lapidibus impetierunt, confugere ad tabernaculum Domini compulerunt. Qui nisi potenter a Deo ereptus fuisset, absque dubio ab impiis peremptus interiisset. Cumque frequenter ab illis similia pateretur, et Deus interitum perversæ gentis pro his et innumeris malis suis minaretur, pro eis ultioni se opponebat, et ne hi qui eum perdere querebant perirent, quantum poterat, satagebat. Nam dicente Deo: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* (Exod. xxxii), respondit: *Si dimittis eis peccatum, dimitte, sin autem, dele me de libro quem scripsisti* (ibid.). Audistis Moysi mansuetudinem, audite et Eliæ severitatem: Regis idololatræ et populi nimis impietatibus provocatum cœlo aquas religavit, et ne reproba tellus fecundaretur, tribus annis et dimidio pluviam verbo suspendit, dicens: *Vivit Dominus, si erit ros, aut pluvia nisi juxta oris mei verbum* (III Reg. xvii). Quadringentos prophetas Baal cum trecentis aliis ad flumen deductos interfecit. Quinquagenarios duos cum quinquaginta suis igne cœlesti consumpsit, ad utrosque dicens: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos* (IV Reg. xi). Multum ergo ille mansuetus, multum iste severus. Deo ergo isti Patres, alter mitissimus, alter immitissimus apparent cum Domino. Quare? quia, *misericors et miserator Dominus* (Psal. cii); quia, *justus Dominus, et justitias dilexit* (Psal. x); quia *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (Psal. xxiv); quia *misericordiam et iudicium cantat Domino Propheta* (Psal. c); quia *misericordia, quæ Christus est, et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt* (Psal. lxxxiv). Misericors ergo misericordem, justus justum designat. Unde et congrue Scriptura non prius Eliam, et postea Moysen, sed antea Moysen, et postmodum Eliam ponit, non tantum attendens ordinem temporis quo alter alterum præcessit nascendo, quantum modum rationis, quo ille istum prævenit significando. Moyses enim primum, Elias secundum Domini signat adventum. Venit quippe primo cum misericordia, venit cum mansuetudine, quia venit Salvator, venit Redemptor, venit Liberator, sicut ipse Nicodemo ait: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (Joan. iii). Hinc et discipulis alio in

A loco indignantibus quod eum quidam hospitio suscipere nolisset, et dicentibus ei: *Vis dicamus ut ignis descendens de cœlo consumat eos* (Luc. ix). Sicut Elias fecit? Respondit: *Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* (ibid.). Et Zachæo inter cætera: *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (Luc. xix). Cujus salutis cum se auctorem divinis operibus demonstraret, cum omnium languores curaret, mortuos suscitaret, quamplurima alia infideli populo etiam temporaliter bona conferret, et (quod nunquam Moyses potuit) æterna promitteret, et in se credentibus daret, ab ingratis et perditis nefando ausu alienigena, dæmonium habens, homo vorax, potator vini, amicus publicanorum et peccatorum vocatus, lapidibus sæpe ut Moyses impetitus, ad ultimum crucifixus, pro crucifixoribus orans Patrem dicebat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. xxiii). Ecce Moysen nostrum mansuetum, ecce mitem, ecce misericordem, ecce omnibus indulgentem.

B Videte nunc Eliam, aspiciate justum, intuemini terribilem, tormenta peccatoribus inferentem. Pertimescite ignem, non centum solummodo homines, sicut tunc, sed totum mundum comburentem. Hunc homo Dei Elias, hoc est Filius hominis, Jesus, in majestate sua de cœlis adjudicandum veniens, si super impios deponet, quando *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit* (Psal. xlix); quando *ignis in conspectu ejus exurdescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (ibid.); quando *advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum* (ibid.); quando *in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur* (Isa. xl); quando *vociferabitur et clamabit, et super inimicos suos confortabitur* (Isa. xlii). De quo suo adventu ipse in Evangelio; *Tunc si quis vobis dixerit; Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere; sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem; ita erit adventus Filii hominis* (Matth. xxiv). Et post pauca: *Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate* (ibid.). Et Joannes in Apocalypsi: *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt et plangent se super eum omnes tribus terræ* (Apoc. i). Qui igitur, ut dictum est, in primo fuit mitis Moyses, in secundo apparebit Elias; qui in primo humilis, in secundo sublimis; qui in primo despectus, in secundo tremendus; qui in primo occultus, in secundo manifestus; qui in primo mansuetus, in secundo severus; qui in primo iudicatus, in secundo iudex; qui in primo Salvator, in secundo non solum Salvator, sed etiam condemnator. Redditum est nunc Moysi quod ei longe ante fuerat promissum. Qui cum flagrabat spiritu dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*, audivit: *Invenisti gratiam in conspectu meo, et te ipsum novi ex nomine; sed non poteris videre faciem meam. Non enim vi-*

debit homo, et vivet; sed dum transiero, videbis posteriora mea (Exod. xxxiii).

Quæ sunt, fratres, Dei posteriora? Videte quæ sunt anteriora, et sic videbitis posteriora quæ sunt. Quid enim Dei antè est, nisi illud, quo omne quod est posterius est? Quid namque est antè ipso Deo? quid non posterius illa substantia cui dicitur: *Ex utero ante luciferum genui te* (Psal. cix); et quæ loquitur: *Ante colles ego parturiebar: Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ* (Prov. viii). Et quæ ita erat in principio apud Deum, ut omnia per ipsum facta sint, et sine ipso factum est nihil? Quibus utique rebus a se factis ipsam anteriorem, ipsas necesse est esse posteriores. Creator enim creatura anterior; creatura Creatore semper est posterior. Anterior ergo est creatrix substantia, posterior creata natura. Nunquid Moysi quærenti videre Creatorem, loco magni muneris pro Creatore moles totius creaturæ indifferenter videnda promissa est? Absit! Non enim omnis, sed quædam creatura ei pro magno videnda promissa est. Hæc est, inquam, illa singularis creatura. Hæc est, inquam, illa singularis humanitas, quæ in utero Virginis, absque ulla peccati corruptione, ab ipso Deo suscepta, et Verbo Dei unita non jam creatura, sed Creator pro unius cum ipso unitione personæ vocatur. Quæ quia secundum modum Creatoris, et secundum ordinem temporis, quo, juxta Apostolum, in consummatione sæculorum, ad destructionem peccati apparuit, Deo posterior est, posteriora Dei Moysi ante promissa hodie ostensa sunt. Nam sicut probatum constat, Dei anteriora ante omnia existens et divinitas, Dei posteriora postmodum assumpta humanitas. Hujus humanitatis hodiernam glorificationem Moyses intuens, quod promissum fuerat, sibi redditum gavisus est, nec immerito. Agnoscebatur enim quod ante prædixerat, et se mundumque salvandum ejusdem humanitatis humilitate gaudebat. Unde et sibi olim dictum recolebat: *Cum pertransiero videbis posteriora mea*. Cum pertransiero inquit. Quid namque tunc aliud Christus in mundo, nisi quemdam transitum faciebat? Non enim ut hic maneret, sed ut hinc transiret, advenerat. Transibat quippe de morte ad vitam, transibat de corruptione ad incorruptionem, transibat de humilitate ad glorificationem, transibat de mundo ad Patrem, sicut evangelista ait: *Sciens Jesus quia venit ejus hora ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (Joan. xiii). Et post pauca: *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (Joan. xvi). Et in Psalmis: *Singulariter sum ego, donec transeam* (Psal. cxl). In hoc transitu Moyses Jesum vidit, quia adhuc secundum carnem mortali adhuc corruptibili, licet ad tempus tunc glorificato, cum eo in mente apparuit. Et quid miraris quod Moyses Jesum in carne deificatum vidit, cum prior Moyse: *Abraham et exsultavit ut videret diem ejus, vidit et gavisus est?* (Joan. viii.)

A *Visi sunt*, inquit Lucas, *Moses et Elias in majestate* (Luc. ix). In majestate tam Christi quam sua visi sunt. Quia cum glorificato et ipsi glorificati sunt: Ille ut Deus, isti ut homines; ille ut Dominus, isti ut servi; ille ut unicus, isti ut adoptati. Sed quid adhuc Moses et Elias cum Christo apparentes significant, videte. De Moyse namque sicut de aliis Scriptura loquitur quod mortuus sit. *Mortuus est*, inquit, *Moses servus Domini, sepelivit eum Dominus* (Deut. xxxiv). De Elia vero quod non mortuus, sed equis igneis raptus sit (*IV Reg. ii*), et quod adhuc vivat, et suo tempore moriturus sit testatur (*Malach. iv*). Qui vero per mortuum Moysem, nisi mortui; et qui per vivum Eliam, nisi vivi signantur? Videntur ergo hi duo in figura resurrectionis cum **B** Domino, ut ostendant vivos et mortuos in ipsa resurrectione judicandos a Deo. Quod Apostolus confirmat in Epistola dicens: *Dominus in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, rapiemur simul cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess. iv*). Quod quamvis de electis tantum vivis et electis mortuis dicere videatur, alibi tamen tam de electis quam reprobis, vivis et mortuis, hoc aperte denuntiat dicens: *In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur* (*Rom. xiv*). Merito ergo de vivis et mortuis judicat, quia mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom. iv*). Respondens autem Petrus dixit Jesu: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum* (*Matth. xvii*).

C Quid est, Petre, quod loqueris? Ut quid terrenum tabernaculum quæris? Quid hic eum remanere exoptas, cum migraturus advenerit? Quid illi qui habitat in cœlis habitaculum temporale procuras? Non ad hoc venit ut domum in terra susciperet, quia habere noluit ubi caput reclinaret. Non ad hoc venit ut tu ei in terris habitaculum construeres, sed ut ipse tibi in cœlis locum præpararet. Non ad hoc venit ut a te constructam hic domum inhabitaret, sed ut te post se ad præparatam quæ sursum est sublevaret. De qua ipse discipulis dixit: *Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* (*Joan. xiv*). Ubinam ipse est, te oportet esse, non ubi tu vis, eum decet remanere. *Bonum est*, ait, *nos hic esse*: ubi, quæso, mors? Ubi passio? Ubi mundi redemptio? Ubi resurrectio? Ubi in cœlos ascensio? Ubi est quod ait Propheta: *A summo cœli egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus?* (*Psal. xviii*.) Si enim tecum, ut tu optas, remanserit, nec ista omnia propter quæ implenda venerat, adimplebit, nec illuc, unde venerat, redibit. *Bonum est nos hic esse*. Si bonum est, Petre, ut dicis, hic esse, longe melius est quo frueris in patria. Si bona est momentanea jucunditas, multo melior

æterna felicitas. Si te delectat Christi ad tempus glorificata humanitas incomparabiliter excellentius delectabit ejus æternaliter conspecta divinitas. Illa inquam divinitas, in quam desiderant angeli conspicerere (*I Petr. 1*), a qua nunquam intuitum patiuntur avertere, quæ mundis corde promittitur, et eis in fine quandoque reddetur. Hac et tu perfrueris, sed sicut pro te Christus, ita et pro Christo ante patieris. Oportet enim te primum ejus fieri socium passionis, ut sic postmodum ejus possis et consolationis. Ibi ipse te suosque in æterna tabernacula suscipiet. Ibi vere non ut hic, tria tabernacula, Christo, Moysi, et Eliæ, sed unum tabernaculum Patri, et Filio, et Spiritui sancto, te ipsum præparabis, quando erit Deus omnia in omnibus (*I Cor. xv*); quando, secundum Apocalypsin, tabernaculum Dei erit cum hominibus, et habitabit cum illis (*Apoc. xxi*); quando ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus (*ibid.*).

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui: ipsum audite* (*Matth. xvii*). Huc venite, gentes, huc occurrite, populi; huc accedite, universi; huc properate, infideles, et convertimini, hic adestote, fideles, et erudimini. Voluistis certificari de Dei Filio, jam non dubitetis tanto accepto testimonio. Præmissi sunt ad hoc testificandum patriarchæ, subjecti sunt prophetæ, qui hunc per Spiritum venturum viderunt, et antequam nasceretur mundo annuntiaverunt. Viderunt et apostoli, non jam ut illi tantum per spiritum, sed per carnem viderunt, in qua non jam nasciturum, sed natum viderunt; non prædicaturum, sed prædicantem viderunt; divina opera facturum, sed facientem et universa quæ de eo dicta fuerant, et propter quæ venerat, adimplentem. De quibus, ut dictum est, Petrus et Jacobus ab eo in montem ad hoc videndum ducti fuerunt. Sed et Joannes, qui Verbum, quod ab initio fuit, se non solum vidisse, sed et manibus contrectasse fatetur dicens: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ* (*I Joan. 1*). Aduit et Moyses ab inferis, advenit et Elias a superis, ut cognosceretis Christo Dei Filio in Elia cœlestia, in apostolis terrestria, in Moyse inferna testimonium dare, ipsumque esse quem in assumpta carne Deus exaltavit, et cui dedit nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philipp. ii*), neque esse aliud nomen sub cælo datum in quo nos oporteat salvos fieri (*Act. iv*). Audistis horum testimonium, audite et illius, ejus in creaturis majus inveniri non potest. Majus, inquam, illius testimonio, nullius hominis inveniri testimonium potest, quia nec illo major in omnibus hominibus inveniri potest Joannis dico qui missus est a Deo in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum (*Joan. 1*). Illius certe testimonium est: *Qui habet*

sponsam, sponsus est (*Joan. iii*), et: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, cujus non sum dignus solve vere corrigiam calceamenti* (*Joan. 1*); et: *Qui incredulus est Filio, non habebit vitam, sea ira Dei manet super eum* (*Joan. iii*); et: *Ecce Aanus Dei, qui tollit peccata mundi* (*Joan. 1*); et: *Ego vidi, et testimonium perhibui* (*ibid.*). Hoc est, inquam, testimonium magni Joannis, quo majus, ut dictum est, in hominibus inveniri non potest.

Habet tamen Christus, ut ait ipse Christus, testimonium majus Joanne (*Joan. v*). Et quia majus Joanne, non jam humanum, sed divinum; non ab homine, sed a Deo; non de terris, sed de cœlis. Hoc est illud quod hodie de nube insonuit: *Hic est Filius meus dilectus*. Et quid ultra exigetis? Ecce patriarchæ, ecce prophetæ, ecce apostoli, ecce viventes, ecce defuncti, ecce mundus et inferus, ecce qui super omnia est, ipse Deus, ipse auctor luminis, ipse fons deitatis, ipse glorificati Filii Pater de cœlis clamat: *Hic est Filius meus*. Audistis de illo testimonium prophetarum, audistis de illo testimonium apostolorum; audistis de illo testimonium Joannis: audite et meum de illo testimonium: *Hic est Filius meus*. Si credidistis hominibus, multo magis credendum est vobis Deo dicenti: *Hic est Filius meus*. Si credidistis aliis de Filio meo, multo magis mihi ejus Patri credere debetis, a quo audistis: *Hic est Filius meus*. Novi enim quem genui, quia, *nemo novit Filium nisi Pater* (*Matth. xi*), novi quem generavi, novi quem de meipso protuli, novi quem non de nihilo, quem non aliunde, sed de mea substantia produxi Deus Deum, Creator Creatorem, omnipotens omnipotentem, invisibilis invisibilem, incomprehensibilis incomprehensibilem, immortalis immortalē, æternus æternum, omnia sciens omnia scientem, omnia continens omnia continentem. Neque enim aliud esse potuit a me genitus quam ego sum, a quo est genitus, et ideo: *Hic est Filius meus*. Non me fallit caro suscepta, sicut falluntur qui non vident nisi extra. Non me fallit quam cernitis humanitas, quam creavit mea, quæ omnia creat, divinitas, quam suscepit hujus Filii mei obediens humilitas, qua redditur mortalibus olim amissa æternitas. Hanc feci, non genui. Quia tamen illi sempiternæ unita est quem genui, nihil dividens, nihil discernens, sed hominem assumptum a Deo assumptione ipsa deificatum ostendens, indifferenter dico, quod hic est Filius meus. Non Moyses Filius meus, non Elias Filius meus, non Petrus, Jacobus, aut Joannes Filius meus, sed hic est Filius meus. Et ut sciatis quod non illi, sed iste est Filius meus, hanc vocem Petrus et Jacobus et Joannes audientes concidunt; Moyses et Elias abscedunt, quia hanc vocem ad se non pertinere cognoscunt. Jesus solus nec concidit, nec abscedit, quia Filium meum se solum verum esse ostendit. Nolite, inquam, in aliquo de illorum testimonio qui hunc præcesserunt, et hunc Filium meum esse dixerunt, dubitare, quia ecce ego illis attestor, quod hic est

Filius meus. Credite et ipsi de se testimonium danti **A** et dicenti : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde venio, et quo vado (Joan. viii).* Credite et Spiritui sancto, de quo et ipse Filius discipulis ait : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me (Joan. xv),* ut in nostra Trinitate nihil diversum, nihil sentiatur esse discretum; sed quod unius personæ facit singula proprietates, in hoc tota communiter cooperari intelligatur Trinitas. Propter ista omnia, scitote quia hic est Filius meus. Et si forte aliquos huic veritati contradicere audieritis, ne scandalizemini, ne moveamini, ne quolibet falsæ doctrinæ vento circumferamini, quia ut vos probemini, illi excitantur, ut vos purgemini, illi accenduntur. Sed vobis purgatis illi exstinguuntur, vobis splendentibus illi obscurantur, vobis vivificatis illi moriuntur, vobis coronatis illi perpetuo puniuntur. Nolite ergo illis credere, nolite falsitati acquiescere; sed meæ incommutabili veritati credite, et absque dubio agnoscite quod hic est Filius meus. Neget infidelis et dicat : Non est Filius Dei. Ego Deus Pater ejus dico : *Hic est Filius meus.*

Merito igitur negantes falsitatem, confitentes veritatem, audietis et credetis quod *hic est Filius meus.* Et addidit, *dilectus.* Dilectus est mihi, quia dilectum genui, quia nec gignere potui, nisi dilectum, nec sic aliquid diligere sicut genitum. Nam sicut nobis est natura singularis, sic est ejusdem naturæ singularitas dilectionis. Sicut est Filii mei de me singularis generatio, ita est et mea ad ipsum singularis dilectio. Et idcirco licet suo modo diligam quod creavi, tamen hunc super omnia diligo, quem genui. Unde *hic est Filius meus dilectus,* est adhuc propter hoc specialiter dilectus, quia per ipsum erga miseros mortales mea ira compescitur, mea indignatio sedatur, mea illos condemnans sententia commutatur. Et ideo eorum in nos, quæ frigerat, dilectio reaccenditur, amor excitatur, affectus provocatur, ita ut eos pudeat vitæ veteris, et convertantur a via erroris, et per viam hominem Filium meum perveniant ad vitam, hoc est ad ipsum Deum, Filium meum. Et quoniam sic adversos homines a dilectione mundi trahit post se, ad dilectionem mei, sine qua nunquam est Filius meus, nec esse unquam potest servus meus. Ideo est Filius meus dilectus, ideo impletur illud quod ipse me Patrem orans dixit : *Ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis (Joan. xvii).* Sic plane dilectio, qua Filium dilexi, in hominibus fuit, quia ad hoc eum dilexi, ut alios vocaret. Ad hoc eum dilexi, ut vocatos justificaret. Ad hoc eum dilexi, ut justificatos magnificeret. Et quia taliter hac dilectione per ipsum et alii salvantur, quoniam prior eos diligens, ipse quoque ab eis diligitur. *Est hic Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quod de isto nunc dico, de nullo dicere potui, quoniam in nullo præter istam mihi bene complacui. Non in illo patre

omnium Adam, quem optimum creaveram; quem quia in illo mihi non complacui, de paradiso eieci (Gen. iii). Non in illis, sicut naturam, ita et vitium de eo contrahentibus, de quibus quia mihi in eis non complacui, dixi : *Pœnitel me fecisse hominem. Delebo hominem quem creavi a facie terræ (Gen. vi).* In nullo certe eorum mihi complacui, et ideo universos diluvio delevi. Sed nec in aliquo subsequentium mihi complacui, quia omnes beneplacito meo resistentes in inferna demersi. Quod si quilibet inter eos me fide agnovit, operibus coluit, in illo quidem mihi complacui, sed non adeo ut in isto bene mihi complacui. Nam sicut fuit in illo quolibet justo, in quo mihi complacui, ita fuit in quo non complacui. Quia etsi viam justitiæ pro posse servavit, ab ipsa tamen in aliquo deviiavit. In quo etsi mea multum vivit gratia, subrepsit tamen ei aliquid ex corrupta natura. At in isto qui omnia mandata servavit, qui in nullo a justitia deviiavit, qui, ut ipse dixit, ea quæ mihi placita sunt, semper facit, non tantum complacui, sed et bene complacui. In illis quippe, quæ semper contraria justitiæ operati sunt, in nullo unquam mihi complacui; in illis vero quæ ex maxima parte servaverunt, sed tamen in aliquo limitem ejus excesserunt, non bene quidem propter negligentiam, sed tamen in illis complacui propter servatam justitiam; in isto autem et complacui, et bene complacui, propter integre servatam innocentiam, et propter summe conservatam justitiam. Iste namque est, de quo ante per prophetam dixi : *Ecce puer quem elegi, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea (Isa. xlii).* Unde licet beneplacitum sit Deo, super timentes eum, tamen iste est in quo sibi complacuit anima mea, præ omnibus timentibus Deum. Cognoscite ergo quia *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quoniam hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius; non temporalis, sed æternus; non inferior, sed æqualis; non aliunde, sed consubstantialis. Quoniam hic est dilectus æternaliter, quia mihi dilectus unicus singulariter, quia mihi multos filios congregat dilectus generaliter, quia hic est mihi in quo bene complacui in innocentia, bene complacui justitia, bene complacui superabundanti gratia. Idcirco, o homines, quos huc usque propter mala vestra contempsi, quos propter scelera nimia exosos habui, quos ita ut nunc, meo colloquio huc usque dignatus non fui, ipsum audite, ipsi credite, ipsi in cunctis quæ vobis dixerit, acquiescite. Gratias tibi, summa Trinitas, gratias tibi, vera unitas, gratias tibi, sola bonitas, gratias tibi, benigna deitas, gratias tibi agit homo humilis factura tua, sublimis imago tua, gratias tibi agit, quod eum perire non poteris, quod eum de massa perditionis eripis, quod viscera misericordiæ tuæ super eum largiter fundis. Immolat tibi pro posse suo hostiam laudis, offert incensum devotionis, libat holocausta jubilationis. Mittis, tu Pater, Filium; venis, tu Fili, per carnem in mundum; ades et tu, sancte Spiritus, in

concupiente Virgine, ades per columbam in Jordane, ades in nube in monte. Cooperaris, tota Trinitas, Deus indivisibiliter, salutem humanam, ut homo se salvatum agnoscat per virtutem divinam. Idcirco confitetur tibi, o summe Pater, homo salvatus, et a te per Filium liberatus. Confitetur tibi, quod illum, quem signaculum tuæ similitudinis feceras, justus perire pateris, et sibi pereunti misericors compatere. Nam vides eum ut fulgur cum sociis de cœlo eadentem, nec curas; vides hominem de paradiso ejectum, et revocas. Dicunt illi Filio tuo: *Venisti ante tempus torquere nos (Matth. viii)*; dicit de homine idem Filius tuus: *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat (Luc. xix)*. Torquentur cœlestes angeli, et taces; ne cum eis torqueantur homines de cœlo clamas: *Hic est Filius meus i quo mihi bene complacui; ipsum audite*. Iterum atque iterum gratias tibi, quod ad nos dilectum Filium tuum misisti, et eum nobis magistrum dedisti. Hodie, inquam, nobis eum perfecisti, hodie eum gloria et honore coronasti, hodie eum super opera manuum tuarum constituisti, hodie omnia sub pedibus ejus subjecisti (*Psal. viii*). Nam per oves, et boves, et pecora campi, terram et quæ in ea sunt, per pisces maris, mare et quæ in eo sunt, omnia scilicet corporea et incorporea ei subdita ostendisti. Vel per pecora, terrenos terrenis inhiantes; per pisces, nunc summa petentes, nunc ad ima corruentes; per volucres, in cœlestibus conversantes signasti. Gaude, pretiosa portio creaturæ cœli, lætare, quia non viluisti in conspectu Dei, quoniam tibi datus est magister Filius Dei. Noli ultra sequi viam erroris, a qua te revocat præceptum doctoris. Esto docilis auditor, quia perfectus est tibi datus præceptor. Ne contempnas tantum doctorem, ne experiaris sui contemptus ultorem. Acquiesce in terra docenti, ut conregnare possis in cœlo sedenti. Neque enim alter ibi Regis obtinere poteris gloriam, nisi hic audias Magistri doctrinam. Nam qui ibi Rex apparebit excelsus, hic primum apparuit Magister benignus. Magister apparuit, sicut ipse cœlestis magister discipulis ait: *Non vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus (Matth. xxiii)*. Hunc tibi hodierna die Magistrum dedit Pater, quando de

A cœlis clamavit: *Ipsam audite*. Audite, inquit, eum, ut Filium meum, audite eum ut vere Deum, audite ut summum doctorem, audite eum ut vitæ largitorem. Audistis olim serpentem, et amisistis paradysum; audite nunc Salvatorem, et possidete cœlum. Audistis hostem, et incurristis mortem; audite vitam, et redite ad vitam. Est enim vera vita iste Filius meus, quia est ut ego et ipse verus Deus. Credidistis tunc illi falsam promittenti divinitatem, credite nunc isti veram danti felicitatem. Audistis callidum deceptorem, audite benignum præceptorem. Audistis pessimum proditorem, audite piissimum Redemptorem. Audistis nequam peremptorem, audite æternum Salvatorem. Obturastis tunc aurem veritati, et reserastis falsitati. Oclusistis eam summx benignitati, et aperuistis impiæ malignitati. Datur vobis adhuc locus resipiscendi, proponitur adhuc via obediendi, ut per eam pateat aditus ad vitam revertendi. Interdicta vobis est in paradiso arbor scientiæ boni et mali, sed non acquievistis, et effecti estis de bonis mali. Voluistis certe experiri quid esset malum. Ecce experti estis quantum sit malum non obedire. Melius, inquam, fuerat solum nosse bonum, ut non esset quod timeretur malum. At quia quid sit malum sentiendo experti estis, agnoscite saltem infelici experientia quantum sit malum inobedientia, quam juste sequatur tanta miseria. Miseria certe amissæ incorruptionis, amissæ immortalitatis, amissæ æternitatis. Quam si vultis vitare, tanta bona si vultis recuperare, huic, quem hodie vobis Magistrum constituo, obedire carate. Huic absque contradictione acquiescite, hunc in omnibus, ut Filium meum dilectum, audite. Hunc audite, quia qui non audierit illum, ut ait Moyses, exterminabitur de populo suo (*Deut. xviii*). Qui vero, ut ait David, obauditu auris obaudierit ei, *in memoria æterna erit, et ab auditione mala non timebit (Psal. cxii)*, quando eis dicetur: *Ite, maledicti, in ignem æternum (Matth. xxv)*. Sed potius cum sanctus lætus audiet: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (ibid.)*, in quo suo Domino in æternum conjunctus exsultabit et gloriabitur, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO IN SERMONES TRES SEQUENTES.

(MARTÈNE, *Anecd. tom. V, col. 1417.*)

De Petro Mauriti nono Cluniacensi abbate, vulgo Venerabili appellato, deque ejus scriptis pluribus agit Andreas Duchesne in Bibliotheca Cluniacensi, in qua opera illius omnia quæcunque reperire potuit, typis mandari curavit. Contexens autem operum illius catalogum, atque inter alia recensens ejus sermones, hæc habet: Item scripsit idem Petrus sermones quatuor valde utiles et elegantissimos, quorum primus de Transfiguratione Domini est; secundus sermo De laude sepulcri Domini est; tertius sermo de S. Marcello papa et martyre est; quartus est inscriptus: In Veneratione quarumlibet reliquiarum. Ex quatuor hisce sermonibus unicum De transfiguratione Domini habes in bibliotheca Cluniacensi, aliis ab Andrea Duchesne frustra quæsitis, reliquos tres publica luce haudquaquam indignos reperimus inter schedas Mabillonii; tertium vero et quartum in veteri codice Cluniacensi auctoris ætate exarato, in quo lectiones ad nocturnas vigiliis recitandæ continentur. Hinc colligimus sermones illos olim Cluniaci in divinis officiis decantatos fuisse.

SERMO II.

IN LAUDEM SEPULCRI DOMINI.

Conceptum, ait Scriptura divina, sermonem tenere quis possit? Non parvum enim, fratres charissimi, tempus effluxit, ex quo in laudem divini sepulcri se effundere animus studeat, et salutarem locum in quo Salvatoris caro quievit, devotis pro posse præconiis attollere concupiscit. Hoc quia commissi munus officii hactenus impedit, adjuvante eo cuius causa agitur, ad solvendum tandem diuturni affectus debitum, ut poterit accingatur. Attollant alii celsis pyramidibus busta majorum et splendenti marmore, operosisque saxi mortuorum suorum cineres exornari contendant, nos antrum incorruptionis, et speluncam de cuius septis infernus expugnatus est, usque ad cœli fastigia, de terris elevatum fidei obsequiis honoremus. Ostendant illi erga mortuos suos sculpturis lapidum et picturis parietum animum suorum affectus, nos erga mortuum nostrum qualem in intimis animæ nostræ geramus amorem, ipsam animam et laudibus et lacrymis effundendo monstremus. Spargant illi sepulcra corruptione horrentia diversorum generum flore, nos sepulcrum de quo incorruptio ex vita exorta est castitatis liliis, humilitatis violis, rosis passionum, devotionum pigmentis, orationum aromatibus aspergamus. Meretur hoc a nobis, et plus quam etiam possumus, locus ille beatus meretur, quia qui granum frumenti in terra cadens ac mortuum præ cunctis terrarum locis suscipere meruit, panem nobis vitæ sempiternæ eo de se resurgente providit.

Noverat terra peccante homine a Deo in primordiis sæculi maledicta, noverat plane post latam mortis sententiam, qua dictum homini est: *Terra es, et in terram ibis* (Gen. III), ad mortem, ad corruptionem homines suscipere, noverat substantiam hominis suscipere, noverat substantiam ex se ad immortalitatem et incorruptionem creatam et ad suam originem propriæ culpæ merito redeuntem, a statu pristino annullare. Aperiebat ex se ortis et ad se per mortem revertentibus sinum suum ad corrumpendum, nusquam ad conservandum. Aperiebat sinum suum, ut ad cognatam terram terrenus homo videret, nec quidquam in illo de membrorum lineamentis a Deo creatis vel in modico remaneret. Aperiebat, inquam, sinum suum omni carni, non, sicut dictum est, ut conservaret, sed ut putrefaceret, ut carni molliem, ut ossium duritiem, ut humoris temperiem, ut totius demum humani corporis compaginem resolveret, et ad informem ex qua sumptum fuerat materiam redire compelleret. At nunc primo de numero filiorum Adam unum et solum inter mortuos universos mortuum suscepit, in quo jus generalis corruptionis periisse, et legem omnibus mortuis impositam evanuisse mirata est. Mirata est certe terra servare se illæsam a corruptionis miseria unius tantum hominis corpus, miratus est infernus liberum inter mortuorum spiritus spiritum non solum nihil timere, sed in ipsis et de ipsis spiritibus

A libere omnia agere. *Deus enim ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit* (Psal. xciii). Hæc est enim, hæc est summa causa, o homo, qua in Christo salutaris tuo exultare, qua sepulcrum in quo pro vita tua ipse mortuus requievit, præcipuo affectu excolere, singulari reverentia præ cunctis orbis totius locis venerari debes. Nam benignus Salvator ad te, qui ab ipso perieras investigandum, de supernis ad ima descendens, non solum te in terris errantem, sed etiam in sepulcris sub terra latentem in ipsis quoque inferis, debitas divini contemptus poenas luentem quæsivit. Quæsivit, inquam, et invenit, et de hoc sepulcro mortuorum omnium sepulcra concutiens, ad immortalis vitam, a qua exciderant, per corpus suum corpora mortuorum reparavit, et suorum animas a tenebrarum locis per beatam animam suam summæque majestatis potentiam ad lucem liberam revocavit. Sic te in se de sepulcro resuscitans, de cinere redintegrans, de corruptione restaurans, et tanti beneficii largitione sepultum ad crucem et tanti benefactoris reclinatorium sepulcrum cœlesti honore dignum esse probavit.

Honoramus quidem, ut justum est, præsepe in quo Dei mater et Virgo natum Deum puerum reclinavit, sed excellentiori gloria veneramus sepulcrum, in quo multis magnisque laboribus perpessis post crucem et mortem pausavit. Involvit pannis maternus affectus suam et Dei Filium, dum eum in præsepe reclinaret, involvit eundem cum aromatibus in sindone munda sanctorum Joseph et Nicodemi devotio, dum eum de cruce depositum in monumento exciso in lapide sepeliret. Magno quidem ille locus dignus est honore, qui cœlestem Regem ad hostium prælia de supernis descendentem suscepit; sed majore gloria sublimandus est ille qui eum jam de hostibus triumphantem excepit. Magno dignus est honore, qui Salvatori mundum salvaturo gremium suum aperuit; sed majore dignus est præconio, qui eidem sinum suum ad quiescendum, mundo jam ab eo salvato, expandit.

Et novi equidem res insensibiles laudes ex se non mereri, quia sola ratio creaturæ Creatori voluntati sponte obtemperans laudis gloriam promeretur. Inde vel soli sancti angeli vel sancti homines a conditis laudem, a Conditore merentur gratiam, quam liberum voluntatis arbitrium, quo a Deo averti poterant, ab ipso inspirati, ad ejus obsequium converterunt; sed hoc modo, hoc est suo merito, laudamus sepulcrum Domini, sed quia electum ad suscipiendum corpus Domini, suscipiens ab ipso sanctificatum est corpore Domini; non solum enim angelos vel homines Deo placentes sanctos dicimus, sed etiam loca a Deo sanctificata sancta vocamus. Hinc templum Domini sanctum, hinc templi sanctiora vocata sunt Sancta sanctorum. Hinc de ipsa urbe Jerusalem dictum est: *Tunc assumpsit eum, id est Christum, diabolus in sanctam civitatem* (Matth. iv, 15). Hinc alibi in sancto Evangelio scriptum est: *Multa corpora sanctorum qui dormierant,*

surrexerunt, et venerunt in sanctam civitatem A (Matth. xxvii). Hinc vasa quibus Patres antiqui Deo ministrabant, in quibus diversi generis sacrificia offerebant, sancta dicta sunt. Hinc ipsæ vestes leviticæ et sacerdotales, sed maxime pontificales sanctæ vocatæ, loquente Domino ad Moysen : *Facies vestem sanctam Aaron et filiis ejus, ut officio fungantur mihi (Exod. xxviii)*. Hinc super omnia hæc altare Dei et arca ejus sancta esse monstrata sunt, ut ipse Ozias ad sacrificandum quidem Deo, sed illicite ad altare accedens, statim leprosus factus sit, et Ozias etiam pro officio arcam sustentare volens, mox a Deo in conspectu omnium interfectus sit. Inde est quod in hoc tempore, o Christiane, non uni templo Dei, quod solum in mundo erat, sed innumeris Dei templis per totum orbem diffusis, vasis etiam et vestibus sacris eadem reverentia debetur et defertur, quia idem Deus, qui illud unum templum, et quæ in eo continebantur, et illi uni genti sufficiens, etc., elegerat et sanctificaverat, ipse multa millia templorum necessaria multis millibus populorum, et quæ in his continentur, et eligit et sanctificat : quod non facit merito aliquorum ipsorum locorum, sed causa in se credentium sibi-que obsequentium populorum. Unde non solum divina colentes, sed insuper loca ubi familiariter divina coluntur et sacramenta saluti hominum necessaria dantur, et suo tempore apud Judæos consecravit, et nostro tempore usque ad finem sæculi consecrare non desinit : unde sicut et ipsa crux Domini non aliquo suo merito, sed quia in ejus corpore dedicata est, sancta dicitur, ita et sepulcrum Domini non aliquo suo merito, sed quia ab eodem corpore Christi, quod in eo requievit, consecratum est sanctum vocatur. Si igitur templum Dei ad preces Deo fundendas constructum sanctum dictum est, nonne sepulcrum in se continens templum Dei, id est Christum, in quo Deus erat mundum reconcilians sibi, qui de seipso dicit : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud (Joan. ii)*, multo magis sanctum est? Si altare Dei, cadavera animalium Deo oblata suscipiens, sanctum est, nonne sepulcrum Domini, in quo corpus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Deo oblatum requievit, multo magis sanctum est? Si arca D Dei, in qua erat lex Dei et virga Aaron et manna de coelo, sancta dicta est, nonne sepulcrum Domini continens in se corpus Domini, in quo Verbum Dei, in quo virga æquitatis, in quo panis vitæ æternæ latebat, multo magis sanctum est? Quia ergo sepulcrum istud Domini, non solum sicut alia sancta loca, sed etiam plusquam illa sanctum est, idcirco majorem omnibus illis ab universis laudem meretur, ut non tantum locus, quia tum ipsum sanctificans omnium locorum sanctorum sanctificator Deus, a nobis et ab omnibus glorificatur. Ea igitur causa est laudandi sepulcrum Domini, ut quidquid de eo dicitur, solum referatur ad honorem sepulti Domini : unde non solum templo, non so-

lum arcæ, non solum præsepi Dominico sepulcrum Domini præponitur, verum etiam absque ulla exceptione sacris omnibus locis antefertur.

Sed quid locorum salutarium, quem ob Salvatoris meruerunt gloriam, honorem discernens præsepi Domini sepulcrum Domini præfero? Alius aliquid aggrediendum est, ut secundum quamdam similitudinem matris Domini sublimior gloria appareat sepulcri Domini. Præparatus est ille virginalis uterus per Spiritum Dei ad suscipiendum adventum nascituri Filii Dei. Præparata est ejusdem sancti Spiritus providentia salutaris specus, ad conferendum passione laceratum corpus resurrecturi Filii Dei. De illâ supercœlesti Virgine matre, et ejus sponso justo Joseph scriptum est : *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto (Matth. i)*, quia nullus ad illum deitatis palatium temerator accesserat, nullus unquam accessurus erat. De isto salutari Salvatoris hospitio scriptum est : *In quo nondum quisquam positus fuerat (Luc. xxiii)*, quia nullius mortui corporis corruptela scœdaverat. De illo ad mortalem vitam mortali adhuc morte amictus tanquam de thalamo sponsus Salvator egrediens orientalis portæ virginalia sigilla illibata servavit, de ista corruptione jam in incorruptionem transfusa, morte in victoriam absorpta, corpus suum sepulcro clauso et signato eduxit. Istis rationibus magna gloria præsepi Domini, major gloria sepulcri Domini ipsi gloriæ contigua matris Domini esse probatur ; et hoc insuper evangelicis testimoniis et miraculis declaratur. Dignum enim erat ut non solum regalis aula virginalis uteri, quæ prima venienti ad homines Deo congruum domicilium præparavit, et quæ gratia superna ac merito singulari ei complacuit, cœlestibus miraculis illustraret, sed etiam rationis et sensus expertia loca ad suscipiendum Dei Filium humana carne amictum præparata, sublimibus miraculis sacra esse monstrarentur. Video namque angelum Gabrielem de cœlis a Deo missum illi beatæ Virgini colloquentem, eam inaudito prius venerationis genere salutantem, adventum Spiritus sancti, conceptum Filii Dei cœlesti præconio nuntiantem, et quanto dignus esset honore ille cœlestis regis thalamus indicantem. Video deinde festivum ac terribilem angelum cum turbine maximo descendentem, super revolutum a monumento Domini lapidem sedentem, custodes impiorum solo sui adventus terrore percellentem, sanctis mulieribus etiam sepulto Domino obsequi cupientibus, eum a mortuis surrexisse, ut prædixerat, nuntiantem. Cerno ad augmentum stupendi miraculi duos angelos non jam extra, sed intra septa venerandi sepulcri residentes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Intueor et Magdalenam Mariam impatienti Christum amore suspirantem, secundo intus inspicientem, ab eisdem angelis audientem : *Mulier, quid ploras? (Joan. xx.)* Audio rursum angelos non tantum ad gloriam nati Domini, sed etiam ad decus sepulti Domi-

ni pastoribus loquentes : *Hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio (Luc. II).* Audio non dissimiliter non solum ad laudem sepulti Domini, sed etiam ad decus sepulcri Domini, angelum beatis feminis dicentem : *Jesum quæretis Nazarenum crucifixum ; surrexit, non est hic (Marc. XVI).* Et statim : *Ecce locus ubi posuerunt eum (ibid.).* Videtis, fratres, nascituri Domini habitaculum Virginem, nati Domini diversorium præsepe, sepulti Domini reclinatorium, sepulcrum angelicis præconiis, cœlestibus honoribus insigniri, et hospitii honore quantum ipsa hospitia humanis hospitiiis honorari debeant angelicis officiis indicari. Magnus quidem et in creaturis excellens honor est Matris Domini, et tamen etsi non componitur, tamen proxime adjungitur honor sepulcri Domini ; sed, sicut supra dictum est, licet magnus esse debeat honor præsepis Domini, ratione tamen et miraculis indicantibus, longe excellentior est gloria sepulcri Domini.

Hujus gloriæ, ut dictum est, cum angeli attestentur, Dominus quoque angelorum adveniat, et ad gloriam sepulcri sui prophetarum suorum testimonia et exempla perducatur. Judæis enim tentantibus et curiosâ malignitate signa quærentibus, quid responderit audistis : *Generatio, inquit, mala et adultera, signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ propheta. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus (Matth. XII).* Non dabitur, inquit, eis, nisi signum Jonæ (ibid.). Quod signum? Non enim fuit signum, quia absorptum consumere non potuit; non fuit signum, quia in ventre ejus præda quam sorbuerat descendit; sed fuit signum, quia in intestinis innumeris belluæ constitutum virtus superna a corruptione servavit. Non fuit signum si a vasto piscis corpore minoris corporis propheta absorptus est, sed fuit signum, quia nec absorptus mortuus est, nec sepultus corruptus est. Hoc ergo signum Jonæ Judæis datum est, quando Christus ab eis impie occisus, a piis hominibus pia voluntate ei obsequentibus in sepulcro positus est. Datum tum hoc est et concessum fuit impiis Judæis, ut ad implendam mensuram patrum suorum, exigente hoc

A serant, sicut Dominum resurgentem, sicut omnipotentem de sepulcro, eo clauso et signato, exeuntem aut confitentes salvarentur, aut negantes punirentur. Non enim, sicut de Jona dictum est, signum fuit, quia Christus mortuus est, sed quia in ejus morte mors omnium extincta est. Non fuit signum, quia sepultus est, sed quia claustris sepulcri non nisi triduo retentus est. Non fuit signum, quia sepulcrum carne mortuus intravit, sed quia de sepulcro ad immortalem vitam carnem propriam reparavit. Non fuit signum, quod more omnium mortalium mori se ac sepeliri permisit, sed quia contra morem omnium corpus suum, ut dictum est, ad æternam vitam reformans, suos omnes etiam qui futuri erant, in se de sepulcris propriis B eduxit, et ad beatam vitam quam amiserant reformavit. Ita vitali sepulcro suo mortuorum omnium sepulcra vivificans, ea non tantum corruptionis conservatoria, quantum incorruptionis præseminaria esse voluit, quia, juxta Apostolum, *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute (I Cor. XV).*

C Sic erit, ait Christus, Filius hominis in corde terræ : erit, inquit, in corde terræ. Convertite animos ad cognoscendum cor terræ, quicumque corda, ad intelligendum habetis, convertite, inquam, corda, ad cor, et videte subime latens in isto corde terræ mysterium. Videte æternam Dei sapientiam non solum fortiter, sed etiam suaviter omnia disponentem, non personas solum humanæ incarnationi ministras, non modum tantum eidem restaurationi congruum elegisse; sed etiam loca humani generis saluti aptiora ante sæcula providisse. Poterat quidem omnipotens auctor salutis hujus ad operandum hoc opus suum ultimos recessus indicere, extremos fines Galliæ, meridiei torrida, aquilonis gelida, vel quælibet alia spatiosi orbis loca eligere, sed quia fructus salutis hujus ad omnes æqualiter pertinebat, nec salvare mundi partem, sed totum simul mundum disposuerat, maluit non in angulo orbis, sed in medio orbis; non in parte terrarum, sed in medio terrarum æquis velut spatiis contiguo redemptionis opera exercere. Commune enim opus, communem locum exigebat, ne, si in remota aliqua terrarum parte fieret, tardius ad salutem suam qui esset remotior perveniret, tardius etiam ipsa ad longe positos se diffunderet, nec tam facile sonus ejus in omnem terram exiret; sed electus est medius et communis locus in orbe terrarum ad diffundendam communiter et festinanter salutem orbi terrarum, et ut nemo sibi vindicaret, ut proprium, quod erat absque ulla exceptione generaliter universorum. Hic est plane medius ille orbis locus, quem Salvator cor terræ nominat, et in quo se requieturum ad instar Jonæ prophetae requie tridua declarat. Illud certe, illud Redemptoris sepulcrum proprie cor terræ, id est medius mundi locus vocatur, licet et ipsa urbs Jerusalem, imo tota illa

quæ promissionis terra dicebatur, intelligi congruenter isto cordis nomine possit. Nam sicut cor humanum vel cujuslibet animalis medium corporis cui in terra illa, in qua Patres antiqui fidei Christianæ conversati sunt, in medio circumposita mundi loco constituta videtur. Unde universaliter tota illa terra patrum sanctorum, specialiter ipsa urbs Jerosolyma, in qua sunt Sancta sanctorum, specialiter vero sepulcrum Domini, cordis terræ nomine designatur, in quo requievit Sanctus sanctorum. Quia vero ab ipsa urbe Jerusalem disseminandum erat in omnes gentes Evangelium regni cœlorum, et ille adfuit qui ait : *De Sion exhibit lex et verbum Domini de Jerusalem (Isa. II)*, et ipse in Evangelio post resurrectionem suam indicat Rex cœlorum : *Quoniam, inquit, sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia, et prædicare in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolyma (Luc. XXIV)*.

Sed unde probatur Jerosolymam vel Jerusalem medium obtinere locum in universo orbe terrarum? Posset equidem suffragari nobis in hac parte, etiam ea quæ vocatur philosophica ratio, sed non indiget fulciri ratione humana ea assertio quæ roboratur auctoritate divina, quæ ut absque nubilo cognoscatur, adveniat clarum prophetæ Ezechielis testimonium, quo Spiritus Dei de jam dicta Jerusalem loquens, vera esse quæ dicimus approbavit. *Ista est, ait, Jerusalem, in medio gentium posui eam et in circuitu ejus terras (Ezech. V)*, de quo medio et maxime in prophetiis David nihil sacramentorum salutarium more suo intemperatum relinquere volens, *Deus, ait, rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ (Psal. LXXIII)*. Non, inquit, in angulo orbis, non in qualibet parte terrarum, sed in medio terræ Deus noster et rex operatus est salutem. Et quidem in omni parte tam proxima quam remota operatur Deus noster et rex sæculorum salutes, quia in omni loco et in omni tempore, secundum decreta æterni consilii sui, homines et jumenta salvat sed tempore ante sæcula ad hoc præordinato in hoc de quo medio agitur terræ operatus est, non particularem, sed universalem salutem ille qui mandat salutes Jacob. De Jacob enim ait vero, non per philosophiam, licet fallere volentis Balaam, erit qui damnabitur. Videte ergo, charissimi vos, inquam, sacrarum rerum studiosi, vos qui meditationi divinæ intenditis, vos qui verbo Dei assiduam operam datis, quorum cibus et victus, non adeo est panis terrenus, quantum ille de quo Scriptura prophetica : *Panem angelorum manducavit homo (Psal. LXXV)*, et de quo Salvator ipse : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi (Joan. VI)*.

Videte et scrutemini Scripturas, in quibus non sicut Judæi maligni putatis, sed sicut benigni Christiani pro certo agnoscitis vos vitam æternam habere. Videte qualiter pene omnes justī, quibus paginæ sacræ justitiæ testimonium reddunt, hanc

A de quâ sermo est terram, in medio, ut dictum est, terrarum omnium constitutam, ipsam, inquam, non aliam incoluerunt. Oportebat enim ut per quinque millia annorum mundo in maligno posito, atque a principe tenebrarum occupato, terra illa in qua Dei Filius nasciturus pro salute sæculi erat, non ab impiis Dominum contemnentibus, sed a piis colentibus incoleretur, et sic cultu divino sanctificata, justitiæ operibus ab injustorum actibus segregata. Itaque ab immundorum sordibus emundata Conditoris ac Reparatoris adventui idonea exhiberetur. Unde eam, ut dictum est, ab initio usque ad Christum, justī pene omnes incoluerunt, et quod aliquid factum et magnum, singulare et insolitum rector sæculorum de ipsa vel in ipsa quandoque vellet B facere, continua sui in habitatione innuerunt. Inde ipsius primi parentis omnium Adæ de paradiso expulsi, ubi per tanta quibus vixit tempora, conversatio fuerit in canone non legitur, sepultura tamen mortui ubi fuerit non tacetur. Loquens vero Scriptura de civitate Hebron, quæ prius Arbe dicebatur, nunc autem alio vocabulo nuncupatur, ait : *Ibi Adam maximus inter Enacim situs est (Josue XIV)*, forsitan erubescis?

C Si vis ergo aliquid retribuere sepulto Domino, quia pro te jacuit mortuus in sepulcro, esto et tu sepulcrum ejus, ut et in te non tantum triduo, sed perpetuo maneat et vigeat memoria ejus. Absconditus apud te in fide firma, charitate perfecta, lateat Jesus Christus, qui, licet sicut tunc in sepulcro positus, non appareat conspectibus humanis, pateat tamen manens apud te conspectibus divinis. Sit vita tua, juxta Apostolum, abscondita cum ipso Christo in Deo, ut cum ipse vita tua apparuerit, tunc et tu appareas cum ipso in gloria (Coloss. III). Assumat anima tua personam, speciem et amorem sponsæ illius formosæ, quæ in cantico amoris vulneratæ charitatis verba deprimens, loquitur : *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia (Cant. II)*. *Dilectus, inquit, meus mihi et alteris, quia Dei Filius non cœlo et terræ, non soli et lunæ, non angelis ipsis, nec cuilibet creaturæ, sed mihi homo factus, mihi passus, mihi mortuus, mihi sepultus est, mihi resurrexit, mihi ascendit, mihi in hoc sæculo passionem in imitatione, in alio vitam in resurrectione, ascensum ad cœlos in sua ascensione, regnum in suo regno præparavit. Ego autem illi, id est in illum solum, non in alium sperando illum, non alium vel aliud amando, ejus in omnibus mandatis obediendo, totam meam substantiam quam creavit ejus obsequiis impendendo, pro illo, etiamsi causa vel tempus se obtulerint, moriendo. Qui pascitur inter lilia, quia dilectus meus cui cuncta bona placent, inter universa quæ placent, singulariter delectatur pudicitia, delectatur purificata conscientia, delectatur sequestrata a sordibus immundorum actuum vita. Filius enim Virginis et Agnus sine macula est, et idcirco non potest habitare in corpore subdito peccatis, quia, ut de Spi-*

ritu ejus legitur, *effugit fictum et aufert se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripitur a superveniente iniquitate* (Sap. 1). Loquere et cum eadem sponsa in eodem Cantico: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* (Cant. 1). Licet enim dulcis sit, et omnem dulcedinem superans dilectus meus, licet abscondat magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se (Psal. xxx), tamen ne sæculo oblecter, ne voluptate hujus vitæ pertrahar, ne forte peccata peccatis addendo, ne eis putrescam, ne malæ insuper opinionis fetorem multiplicatis malis in proximos vel remotos diffundam, erit mihi myrrhæ amaritudinis dilectus meus, ut timoris ejus et amoris recordatione a malorum putredine incorruptam conservet, ut delectationem noxiam vi sua removeat, et ab omni inordinato amore carnem, ab omni superfluo affectu animam illibatam custodiat. Et quia, secundum divinam sententiam, non parva, sed magna est humana malitia (Gen. vi), et, juxta apostolicum verbum, ubi abundat iniquitas, refugeset charitas (Rom. v), non parva quantitas myrrhæ, sed *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi factus est* (Cant. 1), quia multa gratia ejus contra multam malitiam, multa timoris ejus amaritudo, contra multam carnis et sanguinis intemperiam, multa ejus virtus contra tanta vitia mihi necessaria est, qui *inter ubera mea commorabitur* (ibid.), quia a memoria pectoris vel cordis mei, quod inter ubera etiam in corpore meo medium sibi locum vindicat, nullo unquam tempore separabitur. Imitabor et in hoc sepulcrum ejus quod velut in medio terræ positum continuit corpus ejus, retinendo in corde meo, quod quasi inter ubera mea medium est, perpetuam memoriam ejus. Sic a me spiritualiter et firmiter semper retentus et velut in sepulcro sepultus, inter ubera commorabitur mea, mecum semper versabitur, nullo unquam a me, ut dixi, tempore separabitur. Vere non separabitur ullo tempore, quia, sprete rebus omnibus aliis et abjectis, Jesus mihi vita, Jesus mihi victus, Jesus mihi requies, Jesus mihi gaudium, Jesus mihi patria, Jesus mihi gloria, Jesus mihi omnia erit, quantum potero, hic per spiritum et amorem, quousque possim, illic ubi promittitur, eum contemplari facie ad faciem, hoc modo, si in te ipsum susceperis, si ei talem in

A rectionis temporis in integrum reparabitur. Non enim propter aliquam utilitatem ejus Creator omnium et Salvator suorum in saxo insensibili per carnem pausare disposuit, sed propter æternam salutem tuam in eo ad tempus requiescere voluit. Cujus requiescentis ea sola et tota causa fuit, ut sicut ipse post innumeratas passiones et crucis mortem jam non patitur, jam non moritur, nec passio, nec mors ei unquam deinceps dominabitur, ita et tu, postquam ejus vitale sepulcrum fueris, et eum modo quo dictum est, dum vivis, continueris, misera hac vita exacta, jam non patiaris, jam non moriaris, nec in sepulcrum illud lapideum in frusta vel nihilum redigaris, sed de putredine, vel de cinere, vel de nihilo reparatus, ad æternam resurrectionem immortalis jam et beatus cum Christo reformeris.

Sed quid nobis salvatricis speluncæ arcana admirantibus, et de evangelicis apostolicis et etiam prophetis libris ad ejus gloriam testimonia proferentibus, tu maxime prophetarum tandiu, Isaia, taces? dic, non ultra reticeas, sed sicut Salvatoris gloriæ in omnibus famularis, ita sacri sepulcri ejus gloriam, sicut spiritus ejus te docuit manifesta: sicut enim nos de virga et flore, de Virgine et ejus partu, de Christo et ejus passione, de Judæorum reprobatione et gentium vocatione, sicut, inquam, nos de istis et omnibus fidei nostræ mysteriis docuisti, sic de magnificentia sepulcri Domini quid sentire debeamus insinua. *In illa die, inquit Isaia, radix Jesse, qui stat in signum populorum, et ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum* (Isa. ii). Audite, populi universi, audite, gentes diffusæ in orbe terrarum, attendite, linguæ et nationes diversæ, quæ vos posthabitas putatis, quæ contemptu huc usque dignas existimastis, attendite et gaudete non oblitum vestri vestrum Creatorem, in ira sua misericordias nequaquam ultra continere volentem, et non solum illis parvi numeri Judæos, sed et vestræ multitudinis infinitatem salvare misericorditer jam volentem. Audite divinum prophetam, imo præcipuum in prophetis ad vos ante multa sæcula propheticum oculum convertentem. Videte Spiritum Dei, qui ubi vult spirat (Joan. iii), eum inspirantem, et vestram salutem per Salvatorem implendam ante non pauca, ut dixi, tempora prædicentem: *In illa, ait, die radix Jesse, qui stat in signum populorum, et quidem radix Jesse. Antequam hæc prophætia proferretur, fuit David, fuit Salomon, fuit Roboam, fuit Abia, et reliqui. Postquam autem prolata est, fuit Josias, fuit Joachim, fuit Zorobabel, fuit Salathiel, et usque ad Christum plurimi; nullus tamen eorum in signum populorum positus est, donec oriretur ille de eadem radice Jesse qui in signum omnium populorum positus est. Hunc enim, sicut ipse loquitur, Pater signavit Deus* (Joan. vi); signavit utique, ut esset in signum. Sed ad quod signum signavit eum? ut scilicet in altissimum crucis signum more serpentis ænei elevatus in medio castrorum non

Hoc exemplum sepulcri Domini sano in te intellectu refundens, feliciter eò lapide Christo requiem præparabis, feliciter etiam suscepti Christi exitum promerebis. Nam lapis ille in quo Salvator corpore requievit, nullam aliquando mercedem accipiet. Te autem, si modo quo dixi in te Christum sepelieris, paradisi excipiet; non ille gratiam; quia non habet meritum, tu gratia et merito obtinere poteris regnum cælorum. Substantia illius lapidis in nihilum quandoque redigetur, substantia corporis tui etsi ad tempus annullari videatur, communis tamen resur-

Judaici tantum populi, sed totius mundi sublimiter A exaltatus, omnium oculos ad se converteret, omnium animos ad se traheret in morte sua quam in cruce pertulit; totam omnes spem suam ponere admoneret, et sanando omnes infirmitates eorum, remittendo omnia peccata eorum, aperiendo etiam universis diu clausa regna cœlorum, secundum prophetiam magni patriarchæ Jacob se esse eum qui mittendus erat, se esse eum qui expectatio gentium dictus fuerat, demonstraret. Hoc enim signum levavit ipse in nationes, ut congregaret profugos Israël, et dispersos Juda colligeret a quatuor ventis. *Ipsium, ait, gentes deprecabuntur (Isa. xi).* Quid hoc verbo clarius? quid hoc sermone lucidius? quid hac prophetia manifestius? quid expectatis cam, o gentes, ut obscuram exponi, cum nec ab B ipsis cæcis ubilibet per totum orbem constitutis non possit non videri? Nonne vos ipsi, qui ab omnibus Veteris Testamenti prophetis gentes vocatæ estis, Jesum Christum radicem Jesse in signum sublime vobis positum assidue deprecamini? quamvis enim vobis a Deo electis paucitas Judæorum nimis impietatibus et exosa facta repulsa sit, quamvis aliqua pars vestri, quia gratiam Dei quam susceperant abjecerunt a nequam Mahumet seduci permissa reprobata sit, vos tamen, vos aut in libertate, aut sub corporali infidelium servitute, quod nihil vestræ salutis æternæ obest, per universum orbem diffusi, redemptorem vestrum ubique in signum salutis levatum attendentes, deprecamini, et impletam in vobis magni prophetæ Isaïæ prophe- C tiam lætamini; lætamini, inquam, tam felicitis præconii in vobis prophetiam impletam. Exsultate et magnum David regem et prophetam suo illum testimonio confirmantem, atque spiritu Deo loquentem. *Omnes, ait, gentes quascunque fecisti venient et adorabunt coram te, Domine (Psal. LXXXV),* sed quascunque fecisti. Sed quare dixit quascunque fecisti? Nonne omnes terrarum populos vel gentes ipse fecit? Nonne dicit alio in loco Scriptura sancta: *Tu enim fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur? (Isa. xxxvii.)* Sicut enim nullus alius Creator omnium gentium est, sic nullus alius Salvator omnium gentium esse potest. In omnibus ergo gentibus, quas ille fecit, vos estis. Idcirco eum D deprecamini, idcirco in nomine ejus genuflectitis, idcirco eum non solum oratis, sed etiam ut Deum, ut auctorem naturæ vestræ et reparatorem salutis vestræ adoratis, et eum hæc faciendo nomine et re, Jesum, id est Salvatorem vestrum et omnium esse probatis.

Et erit sepulcrum ejus gloriosum. Istius qui radix Jesse dicitur, istius qui in signum populorum ponitur, istius quem gentes deprecaturæ scribuntur. Istius, inquit, sepulcrum erit gloriosum. Audite, amatores gloriæ mundanæ, audite, qui in umbris fugacibus, in floribus marcentibus, in ventis inanibus gloriari soletis. Audite qui gloriam vestram in fragili potentia, in labili pecunia, in caduca su-

perbia ponere consuetis. Videte omnem hanc gloriam vestram ad sepulcrum hominis mortui transferri, et illud omni humanæ voluntati vel jactantiæ anteferri. Sic enim Christus Dominus perversitatem mundi regula justitiæ castigavit, ut quod ipsi pro magno habebant, ipse vile et abjectum contemnendo monstraret; et quæ ipsi ut vilia conculebant, ut horrenda fugiebant, ipse ea patiendo perferenda ac præferenda his esse omnibus judicaret. Ideo superbiam, ideo divitias, ideo reliqua omnia quæ in mundo amantur contempsit. Ideo vitam ipsam carnalem pro qua conservanda omnes in quantum possunt laborant, neglexit. Ideo mortem suam illi præposuit, ideo in sepulcro, quod omnes prout possunt fugiunt, voluntarius requievit. Unde et de eo gloriosa opera tam in cœlis quam in inferno faciendo gloriosum esse debere ostendit. Gloriosum de eo inferos spoliando, gloriosum de eo cœlestia reserando, gloriosum de eo mortem destruendo, gloriosum de eo immortaliter resurgendo, gloriosum de eo ad vitam immortalem per suam resurrectionem mortales homines reformando, gloriosum insuper ad ipsum sepulcrum suum orbis terrarum populos convocando, convocatos suscipiendo; susceptos justificando, justificados salvando, et in salutem eorum quos ad mortem peccatorum et inferi liberat, quos ad justitiæ et felicitatis æternæ vitam resuscitat, se mortis ac vitæ Domini comprobando.

Quid enim aliud, o gentes, ad sepulcrum ejus venientes speratis? Quid aliud ab ejus sepulcro referre optatis? Quid aliud laboris præmium? Quam aliam periculorum mercedem diversarum mortium, quas ad illud euntes assidue patimini, cursusque vestri quod aliud quam istud bravium expectatis? Quid plane vos aliud ab ignotis Orientis finibus, a remotis Occidentis partibus, ab ultimis Austri Aquilonisque recessibus ad sepulcrum quondam hominis mortui congregat, et tam diversarum teriarum et linguarum tantos populos ad unius lapideæ speluncæ angustum receptaculum coadunat? Quid vos, o Galli Germanique populi, quid aliud vos Daci et Norici barbarie virtuteque feroces, quorum alii tereno, alii marino itinere sacrum locum bellicis sudoribus, fuso cruore, sed præclara victoria a jugo Persarum et Arabum erulistis? Quid aliud, inquam, mercedis pro tantis laboribus sustinuistis? Quærebatis sepulcrum, sed non in eo, sicut olim bonæ mulieres vel apostoli, quærebatis sepultum. Noveratis mortuum illum, qui olim in eo quieverat, in cœlis residere, noveratis eum jam non de illo sepulcro, sed de sede majestatis divinæ angelis et hominibus imperare. Noveratis non jam mortuum, sed viventem, non jam Judæis vel Romanis subjectum, sed sibi omnia deitatis potentia subjicientem. Noveratis non jam sepulcrum vel inferno teneri, sed de locis cœlestibus toti terræ, ipsique inferno dominari. Quoniam vos non latere poterat in nomine Jesu omne genu flecti, cœlestium, terrestrium et infernorum, omnemque linguam debere confiteri quia

Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Philipp. II), nec esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri (Act. IV). Ista omnia scientes ad sepulcrum Dei et Domini nostri et Creatoris et Redemptoris vestri, non ut hostes, sed ut creatura, ut servi, ut redempti venistis, piis gladiis ab impiorum sordibus cœlestis munditiæ locum et habitaculum expurgastis, et ne ultra nequam servi dilectis filiis veniendi ad Patris tumulum aditum possent intercludere providistis. Sic faciendo, sit sepulcro Salvatoris nostri, o salvatæ gentes, animas vestras, animas efferendo, vestra corpora immolando, nullatenus quidem aliquid dignum pro tantis ab eo vobis impensis beneficiis retribuistis, sed tamen, si facultas data esset, vos velle retribuere designastis, impletam in vobis istis operibus solemnem prophetæ Isaïæ prophetiam monstrastis, qua ante multa sæcula de vobis sollicitus Deus, et salutis vestræ, quam ipsi apud se ab æterno absconderat præsciens, per jam dictum prophetam ait : *Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, in Lydiam tendentes sagittas, Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam, et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres meos de cunctis gentibus donum Domino, in equis et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum Jerusalem, dicit Dominus (Isa. LXVI)*. Quod licet in fide Christiana a vobis et patribus vestris per apostolicum ministerium susceptum impletum sit, tamen multo magis impletum est, quando amore Christi Domini et Dei vestri gloriosum ejus sepulcrum per vos a perfidorum dominio liberatum est, in quo vestræ devotionis fructuoso affectu, quia sepulcrum Domini vitæ vestræ præposuistis, quia pro eo infortuniis universis vos exposuistis, quia nulla pro eo pericula expavistis, quia pro eo horrenda supplicia, ipsamque mortem constantissime contempsistis, quia omnem vestram mundique gloriam ejus gloriæ subjecistis. In his sane omnibus, secundum præmissæ prophetiæ tenorem, quæ dixerat : *Erit sepulcrum ejus, id est Christi, gloriosum (Isa. XI)*, gloriosum illud esse super omnia terrenæ habitationis loca declarastis.

Sed quid ego quasi solam hominis gloriam ad glorificandum sepulcri Domini locum propono, cum sicut Salvator de seipso dicit : *Ego habeo testimonium majus Joanne, nos de gloria sepulcri Domini habere possimus testimonium majus omni homine? Majus plane omni homine testimonium est, quod*

A non de terris, sed de cœlis est. Majus omni homine testimonium est, quod non ab homine, sed a solo Deo est. Majus omni homine testimonium est, quod non de imis locis natum est, sed de supernis locis exortum est. Accedite huc, cum quibus mihi sermo est, omnes populi terrarum, et ad gloriam sepulcri Domini, singulare et a prima sæculi origine inauditum et invisum videte, et obstupescite fieri miraculum in orbe terrarum. Audistis miracula prophetarum, audistis miracula apostolorum, audistis ipsius Salvatoris adhuc inter homines viventis miracula, audistis innumerabilium ejus discipulorum infinita et miranda opera, quibus et Dei cognitio mortalibus se efficacius infundit, et bonorum hominum merita divina bonitas aliquando patèfecit. Sed jam non dicam audite, sed dicam attendite, videte, accedite, et considerate, qui signum hoc admirabile ad gloriam sepulcri sui in tempore isto non auribus vestris obtulit, sed oculis vestris ingessit; ingessit, imo ingerit oculis vestris ignem (250) cœlestem, eoque sepulcrum suum non semel, sed annuatim honorat. Innuat, imo aperte clamat quanto illud homines honore colere debeant, cum tam præclara et cœlos præbere obsequia videant. Mittitur a Patre luminum de cœlis lumen ad terras, et a sepulcro Domini corporales tenebras fugans, lumen quod illuminat omnem hominem ibi quondam latuisse, inde quondam surrexisse clarius omni luce demonstrat, fortius omni argumento confirmat, fugat de tenebris hominum, quos tamen ductrix omnium ad vitam gratia irradiat, omnes dubietatis tenebras, nec fidem quæ in Christo est vel in modico vacillare permittit, dum tantæ novitatis signum non nisi a Deo posse fieri cernitur, nec nisi veritati veritas, quæ Deus est, testimonium posse ferre cognoscitur. Supplet plenissime nobile miraculum antiquorum miraculorum locum, nec istud attente considerans, ea post istud sibi necessaria ad roborandam fidei gratiam judicabit. Quid enim si tu qui ad roborandam fidem tua signa requiris a prophetis Christum prædicantibus, ab apostolis Christum prædicantibus, ab innumeris quoque aliis ejus discipulis cæcos illuminari, surdis auditum restitui, mutos loqui, leprosos curari, dæmones expelli, morbos omnes auferri, mortuos suscitari, montes transferri, atque alia diversi generis omnem numerum excedentia signa fieri non vidisti? Nunquid non alienis, sed tuis oculis signum hoc admirabile, et pene omnibus præferendum ab eodem signorum auctore, ad ejus sepulcrum fieri non vidisti? Quod si forte quia non aderas non vidisti, nunquid ab innumeris qui vide-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(250) Insigne hic designat miraculum, quod olim singulis annis contingebat in sepulcro Domini, ubi in vigilia Paschæ ignis divinus de cœlo descendens omnibus videntibus ecclesiæ lampades accendebat: cujus quidem miraculi testes sunt Bernardus monachus, qui anno 870 Hierosolymam profectus, illud a se visum refert in suo Itinerario, vetus Pontificale Ecclesiæ Pictaviensis ante annos 800 manu

exaratum; Rodolphus Glaber, l. IV. Hist., c. 6; Leo Ostiensis, Chronici Casinensis, lib. III, c. 3; Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, auctor Historiæ belli sacri, tom. I; Musei Italici Mabillonii, n. 102; Guillelmus Malmesburiensis, lib. IV De regibus Anglorum; Chronicon Andrens. Spicil. tom. IX; et Chron. Fontanense, ibid., tom. X.

rant hominum millibus illud referentibus non audisti? nam licet adeo frequenter nostris his diebus miracula jam dicta non fiant, quia nec jam mundo scientia Domini repleto sicut primis temporibus necessaria sunt, nec illi qui fidem, quam patres eorum tenuere, abjecerunt, etiam digni sunt; licet, inquam, non adeo ut prius tam frequentia miracula fiant, datum est tamen hoc nostris sæculis miraculum, quod, sicut dictum est, plene supplere valeat illorum omnium locum miraculorum.

Nonne enim ut de digniori inter miracula miraculo loquamur, aut majus aut saltem æquum est ignem de cœlo deponere et animam ab inferis revocare? nonne æque mortalibus et impossibile et stupendum videtur et spiritum de imis redire, et ignem de supernis venire? nonne æqualiter pugillo divinæ potentiae concluduntur et spiritus mortuorum et ipsa corporalis et ignea vis cœlorum? non est hoc miraculum sicut portenta magorum, inane aut phantasticum, sed verum, corporale, ac solidum quia ignis corporeus ad gloriam sepulcri Domini de cœlis a Deo missus corporalibus papyri vel stupæ speciebus adjungitur, et corpore olei ceræque depascitur. Apparet visibili hominum splendore, indicat tactibus hominum calore ignem se esse corporeum, implens imposita sibi annuæ servitutis officia, ad honorem corporis Domini olim in illo corporali sepulcro conditi, corporali et publico officio deservit. Quid igitur quæris videre mortuum de terra surgentem, cum videas e terris ignem e cœlo fulgentem? de cœlo plane tibi datum est hoc signum, sicut Judæis datum fuerat de terra signum: illis sicut infidelibus et terrenis datum est signum de terra, tibi sicut fideli et cœlesti datum est signum de cœlo. Illis datum est signum de terra Christus in corde terræ, id est in hoc sæculo sepultus, ut morte ejus quam ipsi intulerant aut aversi damnarentur, aut conversi salvarentur; tibi datum est signum de cœlo, primo Christus resurgens et in cœlos ascendens, deinde ignis ab ipso de cœlo missus, ut lumine cœlesti magis spiritualiter illumineris, ut calore ejus magis spiritualiter accendaris, et sic illuminatus agnitione divina, accensus claritate superna suo tempore ad cœlestia proveharis. Est ergo, ut dictum est, de cœlo ignis cœlestis, quo homines illustrati et accensi ad amanda cœlestia animentur et a Jesu Christo Domino suo hujus tanti miraculi auctore, ad ea ante sepulcrum animabus, post sepulcrum corporibus sublevantur.

Advertendum est et hoc ad augmentum miraculi, quod non Nazareth, ubi Christus conceptus, non Bethlehem ubi natus, non Capharnaum, ubi nutritus, non alia Judææ vel Galilææ loca, in quibus infans, puer, adolescens, juvenis educatus, demoratus, conversatus est, lumen illud cœlestē illuminat, sed solum sepulcrum Domini et venerabiliter infulgendo honorat. Addendum est et hoc ad insignis signi auctoritatem commendandam, quod non die

A Conceptionis Domini, non die Natalis Domini, non die Apparitionis Domini, non die Repræsentationis Domini, sed die Passionis uno die sepulturæ Domini ignis iste cœlestis in terris apparet, nec de tribus diebus ac noctibus quibus Salvator jacuit in sepulcro, aliam quam Sabbati, id est requiei, diem ad demonstrandum eligere solet, et cum annuo recursum passionis vel sepulturæ Domini memoria non designata, una eademque die, sed secundum Patrum regulas maturius vel serius celebratur, non fallitur mutati miraculi certitudo, sed cœlestis benignitas devotionem prosequens Ecclesiæ suæ die quo Christus in sepulcro carne quiescens recolitur et adoratur, cœli sublimia humilitati terrenæ adjungit, et tam nobili et jucundo miraculo Christianorum suorum solemnia condecorat. Magnum quidem et admirandum fuisset, si tantum semel patrum vel nostris temporibus signum hoc mortalibus apparuisset, sed nunc longe majus et mirabilius esse quis non videat, cum ante multorum annorum spatia nullum neque patrum neque nostris diebus ab hoc miraculo annum, fidei et saluti hominum consulens superna pietas excipiat, continuata est jam isto miraculo tanta series sæculorum, ut nullus nec in decrepitis senibus reperiat, qui ab aliquo præcedentium hujus tanti signi exordium se audisse aliquando fateatur. Ita omnipotens dispensator, qui unicuique tempora providet et dispensat, rarecentibus prioribus miraculis, istud eis jam ex longo tempore succedere voluit, tantumque esse decrevit, ut et vicem præcedentium signorum compleret, et se mundo et Christianæ fidei non solum per gratiam, sed nec etiam per miranda opera, ubi necessaria sunt, posse deesse monstraret. Quare hoc? quare, inquam, loca vel dies conceptionis, nativitatis, apparitionis, repræsentationis, ipsius quoque resurrectionis vel ascensionis, loco vel diei sepulturæ cœlesti judicio, cœlestibus dignitatibus indicantibus superponuntur. Patet, patet ratio, totis ulnis affectuum amplectenda. Conceptione enim Christi vel nativitate vel apparitione vel repræsentatione et similibus opus nostræ salutis inceptum est, sed sola morte ejus perfectum est, unde et in cruce, in qua mortem passus est, ut hoc ita esse ostenderetur, ab eo dictum est, *Consummatum est* (Joan. xix). More ergo omnium utilium operum dignior est etiam hujus operis divini perfectio quam inceptio, consummatio quam inchoatio, finis quam principium. Nihil enim nobis Christum nasci, nihil circumcidi, nihil baptizari vel baptizare, nihil prædicare, nihil divina et miranda opera facere profuisset, nisi mors ejus pro vita mortuorum justitiæ Dei oblata fuisset; sed postquam morte corporis justitiæ Dei satisfactum est, succedente ejus misericordia, mortuus homo vitæ redditus est. Fuit ergo perfectio omnium ejus operum mors suscepta pro vita omnium hominum. Unde quia ipse hac gratia pro mortuis mortuus locum hunc sepulcri, in quo quiescere elegit, omnibus illud sacris locis

hac electione præfecit ; nam sicut mors ejus præfertur omnibus operibus ejus, ita locus mortis ejus merito præfertur locis omnibus mirabilium operum ejus. Quod vero diem resurrectionis, quod diem etiam et locum ascensionis diei vel loco Dominicæ sepulturæ vel mortis supposui, non dignitatis prælatione, sed velut causæ et effectus distinctione monstravit. Sicut enim hominis peccatum mortis causa fuit, ita resurrectionis et ascensionis causa eadem Christi mors exstitit. Nam neque Christus moreretur, nisi peccatum pro quo mortuus est præcessisset, nec a mortuis resurgeret, nisi mortuus ante fuisset. Et sicut effectus causæ quæ peccatum dicitur, mors Christi fuit, ita effectus causæ, quæ mors Christi vocatur, resurrectio et ascensio exstitit. Quia enim præcessit peccatum, resurrectio et ascensio consecuta est. Non ergo, ut dixi, quantum ad dignitatem, mortem Domini resurrectioni vel ascensionis præfero, sed unde illa originem trahant ostendo. Mors enim Christi resurrectionis et ascensionis causa est, resurrectio vel ascensio ipsius causæ effectus est. Mors Christi prælii victoria est, resurrectio et ascensio triumphus victoriæ est. Mors Christi pretium est, resurrectio et ascensio præmium est. Sicut igitur in humanis commerciis non potest sequi præmium emptionis, nisi præcedat pretium venditionis, nec potest sequi præmium remunerandi, nisi præcedat pretium obsequendi : sic in hoc divino commercio non posset sequi præmium resurrectionis, nisi præcessisset pretium redemptionis ; quia ergo per redemptionem ipse est ad retributionem ; idcirco dies redemptionis præfertur diei resurrectionis ; et hoc eodem merito idem dies et locus redemptionis diei et loco præponitur ascensionis. Claret ergo hac ratione non incongrue hoc in loco pretium præmio anteponi, quia, ut dictum est, non esset iter ad præmium, nisi præcederet pretium. Ea causa dies resurrectionis cum die et loco ascensionis diei et loco sepulturæ Domini postponitur. Et licet infirmitatis sit mori, virtutis resurgere, ignominia descendere, gloria ascendere, tamen quia per infirmitatem ad virtutem, per ignominiam ad gloriam pervenitur, infirmitas virtuti, ignominia hoc loco gloria antefertur.

De his ne quilibet mortalium dubitaret, ne ficta magis quam vera putaret, tu Pater omnipotens, humanæ mentis obscuris involueris occurristi, et lumine cœlesti ad sepulcrum Filii tui dimisso, omnes hujus obscuritatis tenebras effugasti. Fugasti certe humanas tenebras luce superna, et sepulcrum illud ubi lumen de tuo lumine natum, et per susceptæ carnis mortem, quasi obscuratum delituit, terrenis omnibus locis esse præferendum monstrasti, commendasti in gloria sepulcri ejus magnifice completendam esse humilitatem sublimem ejus, quia humilitas humilior esse non potuit, quam quando se idem Filius tuus de altissima sede majestatis tuæ non solam usque ad terram vivus, sed etiam usque ad sepulcrum mortuus inclinavit. Neque enim adeo

A commendanda erat a te naturalis majestas, quantum assumpta mortalitas ; non adeo innata potestas quantum mutuata debilitas ; non adeo propria celsitudo, quantum aliena, sed in te suscepta abjectio. Idcirco magis sepulcrum ejus quam alia loca humanitatis ejus, tu qui facis ministros tuos ignem urentem, igne misso de cœlis, honoras, ut quæ ob tantæ humilitatis abjectionem humiliora videri poterant, tam sublimibus miraculis gloriosiora esse clarescant, gratam tibi in hoc et Christi tui humilitatem et Christianorum tuorum esse indicas devotionem, dum signo illo quo antiquorum sanctorum affectus tibi placere monstrabas, eodem etiam obsequia tibi complacere demonstras.

B Discrevistis olim inter munera Abel et Cain signo isto, hoc est igne cœlesti, et quid tibi in uno acceptum, quid in altero esset ingratum, per Scripturam tuam nos docuisti dicentem : *Inflamavit Dominus super munera Abel, super munera vero Cain non inflamavit.* Dedisti idem signum per magnum prophetam Eliam a te aversis Judæis, et quantum inter cultum Creatoris et creaturæ distaret eodem ignis signo monstrasti, dicente prædicto servo tuo Elia ad populum : *Usquequo claudicatis in duas partes ? Si Dominus est Deus, sequimini eum ; si autem Baal, sequimini illum (III Reg. xviii).* Et rursus de sacerdotibus idolorum : *Dentur vobis duo boves, et illi eligant bovem unum, et in frustra cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant ; et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignemque non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini, et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus (ibid.).* Clamavit ergo servus tuus Elias, et quod solus universorum sis Deus, misso de cœlis igne, holocaustum ejus absumente, docuisti. Sic plane, o Domine, sic Creator omnipotens, sic inter nos et inter Judæos vel ethnicos hoc tempore facis, sic eorum vota, preces et munera abjicis, sic tibi odiosum esse ostendis. Sic eis reprobas, nostra approbas, sic tuorum sacrificia Christianorum preces et vota tibi placere pronuntias, dum ad Filii tui sepulcrum, quod soli isti honorant, ut reveletur eundem ignem de supernis dirigis, dum eorum corda in amorem tuum eodem igne accendis, dum eos ejus splendore hic et in æternum illustras. Et quia perfidi hostes Christi tui magis ejus mortem, quam aliqua ejus humilitatis opera contemnunt, tu tanti luminis miraculo locum mortis ejus decorando, quantis stultitiæ tenebris teneantur ostendis. Contemnunt ipsi præcipue mortuum, honoras tu præcipue mortui sepulcrum, et quod ipsi putant ignominiosius, tu signo tam mirabili esse indicas gloriosius. Reprobas Judæos sicut invidum Cain, reprobas gentiles sicut cultores Baal, et super sacrificia eorum inflammas ; eligis Christiani populi hostias sicut munera Abel, approbas ejus sacrificium sicut holocaustum Eliæ, dum sepulcrum in quo Filius tuus pro nobis factus hostia requievit, igne de supernis transmisso irradias. Latebat olim

in parva Bethlehem, parvulo loco, parvulus juxta carnem, idem Filius tuus, ex hominibus ignorantibus eum mirabiliter stella iudice prodidisti, at nunc mirabilius locum sepulcri ejus cœlesti luce illustras, et eum non ut hominem mortuum in sepulcro latere, sed ut Dominum de cœlestibus locis vivis ac mortuis imperare designas. Currunt eo miraculo, sed maxime tua gratia tractæ ad sepulcrum tuum, Jesu Christe, fili Altissimi, gentes universæ, et non solum te Deum et Dominum suum, sed et mediatorem, redemptorem et salvatorem fatentur. Offerunt seipsos tibi, qui te ipsum pro eis hostiam obtulisti, nec ut te in tuo sepulcro adire possint, terræ marisque pericula ulla verentur. Sciunt quidem jam in illo te sepulcro non jacere ut mortuum, sed in cœlis regnare ut Deum vivum, sed tamen quem ad te affectum habeant, lapidem in quo jacuisti, imo per ipsum te in lapide venerantes ostendunt. Osculantur piis mentibus peccatores pœnitentes lapidem tuum, et quia sicut peccatrix, sed pœnitens illa Maria pedes tuos super angelorum verticem constitutos osculari non possunt, ostendunt ibi lacrymando vulnera sua, ne se super eos continere valeant super miseros semper misericordia stillantia viscera sua. Non ignorant te a tempore passionis, mortis et sepulturæ tuæ majore super eos quam ante pietate moveri, quia eos non facile mori permittis. Noverunt non posse te pati æquanimiter irritum fieri tanti pretii pretium, quod pro mortalium vita dedisti, nec ferre patienter, ut post mortem tuam hi pro quibus mortuus es moriantur; regno enim mortis quousque ad te protensum fuerat succedere vitæ regnum fecisti, et tam diram ac longissimam servitutem tanta ac perpetua libertatis gratia mutasti.

Ostendisti per ipsum diem in quo mortuus es, per ipsum locum in quo sepultus es, pro quibus et quare mori et sepeliri voluisti, et hoc melius rebus quam verbis ignorantibus homines docuisti. Non sexta die creasti hominem, quia sexta hora illud quod deliquerat per lignum expiando ad paradysum revocasti hominem. Post meridiem ad auram in paradiso deambulans, peccatorem increpando dixisti: *Adam, ubi es?* (*Gen. iii.*) Post meridiem hora nona emittens spiritum peccatorem ad paradysum reduxisti, cui dixeras: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc. xxiii.*) Ad quem paradysum, ut omnibus post latronem per mortem et sepulturam tuam aditum patefactum monstrares, in paradiso, hoc est in horto pati, in paradiso crucifigi, in paradiso mori, in paradiso sepeliri, de paradiso etiam resurgere voluisti. Sic enim loquitur dilectus discipulus tuus, apostolus tuus, evangelista tuus. Sic certe de loco in quo captus pati cœpisti, ait: *Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus* (*Joan. xviii.*) Sic Petrus alia etiam de loco mortis et sepulturæ tuæ testatur: *Erat, inquit, in loco ubi crucifixus est hortus, et in horto monumentum novum* (*Joan. xix.*) Ergo quid aliud, o Domine, o Patris æterni invicta Virtus, o summa Sapientia, non

tantum fortiter, sed pulchre suaviterque disponens omnia? (*Sap. viii.*) quid, inquam, aliud, ut dictum est, in horto captus, in horto crucifixus, in horto mortuus, in horto sepultus, de horto resuscitatus, quam hominis per ista omnia ad hortum, id est ad paradysum reditum designasti? expiasti in horto quod commissum fuerat in horto, et ut culpam in horto perpetratam dilueres, pœnam culpam illam expungentem in horto subiisti: intulerat homini horti culpa æternam mortem, restituit homini horti pœna æternam vitam. Sic misericorditer et eleganter opus tuum, o Salvator, redintegrans, quod perierat restaurans, per mortem tuam hominis tui mortem destruxisti, per sepulcri tui quietem animabus tuorum quietem providisti, per resurrectionem carnis tuæ sepulcro carni humanæ resurrectionis gloriam præparasti. Adhibe igitur piæ aures ad sepulcrum tuum venientium precibus, inclina etiam eas remotorum te in sepulcro tuo venerantium affectibus, quia obesse non potest illa benignitas et communis pietas his quos et bona conjungit voluntas. Pacem enim quam per cœlestis exercitus sacram militiam bonæ voluntatis hominibus natus nuntiasti, de sepulcro resurgens et pax vobis dicens per te ipsum eisdem hominibus bonæ voluntatis exhibuisti. Unde quia tu æternus es, pacem nominando, eam non transitoriam, sed æternam designasti, hanc a te et sepulcro tuo proximi ab eo etiam corpore remoti implorant. Suscipe ergo, tu qui in sepulcro mortuus jacuisti, qui de sepulcro a mortuis resurrexisti, preces et fletus et affectus tuorum, et a tuo nomine Christianos vocatos tuæ crucis caractere insignitos eo signo Israelitarum more ab Ægyptiis, hoc est ab omni infidelium numero distinctos baptisate tuo, et peccatis omnibus lotos, corpore et sanguine tuo ad vitam æternam resectos, spiritali affectu mortuos et sepultos. Hos, inquam, omnes, tu, qui resurgens a mortuis jam non moreris (*Rom. vi.*), tecum resuscita, vacua tuo sepulcro sepulcra eorum, destrue morte tua mortem eorum, repara tua vita vitam eorum, para ascensu tuo ascensionem eorum, et, ut debito fine concludas omnia quæ pro eis fecisti, da eisdem regnum cœlorum, tu qui Rex es et Dominus regni cœlorum, præsta ne a diabolo, peccatis aut mundo impediti confundantur ab expectatione sua, sed per te, qui expectatio gentium dictus es (*Gen. xlix.*), beata eorum spes in adventu tuo commutetur gloria et felicitate æterna. Apparebit tunc longe amplior gloria sepulcri tui, quando hi qui te in humilitate sepultum devotis sunt obsequiis prosecuti, non solum in animabus, sed etiam in corporibus perpetuam de sepulcro resurrectionem, immortalitatis gloria fuerint sublimati. Nam qui in hac peregrinatione eis ad patriam tendentibus per susceptæ carnis humilitatem factus es via, apparebis eis per divinæ potentie majestatem veritas et vita sempiterna, qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

DE SANCTO MARCELLO PAPA ET MARTYRE.

Natalem, fratres, gloriosi martyris et summi pontificis Dei Marcelli hodie cum honore et gaudio celebrandum suscepistis. Et merito cum honore et gaudio, ut eum ad summum honorem et sempiternum gaudium hoc suo natali pervenisse significetis. Et unde hoc probamus? Unde, inquam, probamus? Unde ostendimus diem mortis natalem ejus esse, et eum hoc natali ad summum honorem et sempiternum gaudium pervenisse? Natalis, charissimi, sive generationis in Scripturis divinis ille dies dicitur, quo sicut de utero, sic de morte ad vitam pervenitur: unde Dominus in Evangelio spiritaliter docens omnem hominem ad vitam debere renasci, Nicodemus ait: *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei* (Joan. III). Rursum illam, quæ in consummatione sæculi futura est, etiam corporum resurrectionem generationem vocans ait discipulis: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim* (Matth. XIX). Sicut igitur per aquam et spiritum de peccati morte ad vitam justitiæ homines renovati renasci dicuntur, et sicut de sepulcris ad vitam immortalem resurgentia corpora regenerari perhibentur, sic sancti Dei de corpore mortis hujus gratia Dei liberati, et ad vitam quæ post mortem eis datur translata, merito nati referuntur. Hinc et dies ille quo de miseria ad beatitudinem, quo de tenebris ad lucem, quo de morte ad vitam transferuntur, non ut dies funeris cum mœstitia, sed ut dies natalis cum lætitia celebratur. Ista enim sanctorum nativitas longe verior, quam illa carnis est, in qua non de matrum uteris ad vitam miseram et cito finiendam exeunt, sed de mundi angustis tenebris ad liberam lucem et æternam vitam conscendunt, de qua Dominus: *Ego sum, inquit, resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet* (Joan. II). Tali ergo modo felix beati Marcelli de terris ad cœlos transitus ejus dies natalitius vocatur, qualiter vero hoc suo natali ad summum honorem et sempiternum gaudium pervenerit a Domino audiamus: *Si quis, ait, mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est* (Joan. XII). Videndum est quomodo Christo beatus Marcellus ministraverit, et qualiter bene ministrans, a Patre honorificari meruerit. Ministravit ille Christo in omni cleri ministerio, ministravit in pontificatus officio, ministravit in multiplici martyrio, neque enim in pace ei licuit ministrare, sed imposita est necessitas etiam militare. Nec tantum rei familiari providere ut sapiens et fidelis dispensator jussus est, sed ut probatus miles et peritus bellorum dux cœlestis militiæ in magnis præliorum periculis factus est. Probat hoc atrocior solito suo tempore emergens persecutorum immanitas. Probat largiter ubique profluens martyrum sanguis. Probat orbis totis adversus Christum viribus dimicans.

Multa quidem ante adversus Ecclesiam Dei Sa-

A tanas molitus fuerat, multas a Neronianis temporibus incipiens tempestates excitaverat; sed nihil se proficere cognoscens, hujus beati viri diebus totam vim furoris effudit, et de tumente utero omnem veneniferæ pestis plenitudinem evomens, regna universa contra eam movit, et Romanos principes qui fere omnibus dominabantur, ad eam si fieri posset eradicandam acrius instigavit. Nam ut multiplicia mortium genera seponantur, ut innumera occisorum illis persecutoribus Christianorum agmina supprimantur, soli triginta dies, decem et septem millia in Christi confessione suo sanguine purpuratos cœlestium camporum floribus addiderunt.

Tunc et beatus Marcellinus summus apostolicæ sedis episcopus, et præcipuus ovium Christi pastor, eisdem ovibus sibi creditis per martyrii coronam adjunctus est. Hujus tempore beatus Marcellus, cujus passione hodiernus dies illustris est, presbyterii honore insignitus, et post ipsum atque cum ipso principalem Ecclesiæ Dei sollicitudinem gerens nihil remissum esse patiebatur; sed quanto majus videbat instare periculum, tanto ad omnia toleranda majorem parabat et animum.

Ducitur interea pontifex Marcellinus ad victimam, sequitur et presbyter Marcellus ad coronam, optat pati cum magistro discipulus, sed differtur ad pugnandum diutius. Non permittitur eum comitari ad requiem, quia ad majorem reservatur laborem. Pergit cum eo quasi pariter moriturus, sed Deo providente non moritur episcopo successurus. Præparat Ecclesiæ suæ Christus idoneum rectorem. Providet navî suæ multa vi fluctuum laboranti doctissimum gubernatorem. Conservat in acriori certamine fortissimum præliatorem. Abscondit in pharetra sagittam, qua postmodum durum transverberet hostem.

Adjurat ergo antequam pateretur beatus papa presbyterum, ne in aliquo consentiat impiis præceptis imperatorum. Forte martyr sanctus, spiritu admonente, didicerat eum pro se Christi Ecclesiæ præponendum, quem tam sollicite in ipsa jam pene sui sanguinis effusione putavit admonendum. Prædixit in hoc verbo gravi verberare flagellandum Domini gregem, cujus tam intente ne deficiat hortatur pastorem. Sic et Christus, summus Pastor, passione imminente, de grege quem quasi relinquebat sollicitus, ait Petro: *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (Luc. XXI). Ita beatus Marcellinus locum Petri habens, et eum beato Marcello relinquens, ne deficeret admonuit, et ad mala quæ sequebantur æquanimitè tolerando animavit. Nec putet quispiam tantum cum beato viro in multis jam probato timuisse, quantum alios quibus timendum erat, in ipso quasi eorum personam gerebat, talibus sermonibus instruxisse; etsi enim a Christi martyre forti viro non erat formidandum,

erant tamen infirmi quibus erat utique metuendum, A de quibus paternā cura sollicitus successuro pastori eos commendabat attentius.

Consummatur igitur sanctus pontifex glorioso martyrio, et remanet Marcellus in majori quam fuerat ante periculo. Incumbit ei cogitare de grege quem cernit proprio viduatum pastore. Videte, fratres, quanti fuerit apud Deum martyr noster, cujus hodie festa solemnizatis. Videte, inquam, qui de eo iudicium cœleste decreverit, et sic videbitis quantus fuerit. De virtute militis consulite sententiam imperatoris. Consurgit vehemens contra Christi militiam persecutionis pressura. Conjurat mundus in arma; fremunt gentes, et populi meditantur inania; astant reges terræ et principes conveniant in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus; exerunt gladios, prosternunt exercitum, interimunt ipsum ducem, reliquos fugantes ubi ubi dispergunt. At miles noster fugatos revocat, revocatos congregat, instaurat aciem, hortatur ad bellum, aggreditur hostes, pugnat acriter, victoriam obtinet, victor exsultat. Sic, sic beatus Marcellus in spirituali agens prælio, virtute animi in Christi militia insignis effulsit. Undique enim gladio sævente, ubique persecutore instante. Diocletiano et Maximiano ferociter urgentibus, tot sanctorum millibus interemptis, ad hoc ille, ut diximus, singulariter ad tempus servatus est, ut Ecclesiam per multum temporis pastore destitutam atque trepidantem meritis defenderet, consilio muniret, labore sustentaret.

Attendite, fratres, et considerate quantus tribulationis ignis Ecclesiam Dei illo tempore exurendo probavit, quando per septem (251) annos et sex menses ac diebus viginti quinque; quod nunquam ante nec post contigisse legitur, nec Romana sedes episcopum, nec universalis Ecclesia apostolicum super cæteros potuerit habere pontificem persecutionis turbine prohibente, clero et populo qui supererat nec conveniendi possibilitas, nec eligendi potuit esse facultas. Toto hoc tempore beatus Marcellus ante pastoralem curam pastorale gerens officium, vices summi pontificis indoctos instruendo, trepidos confortando, Christi sacramenta tribuendo, omnia in tanto mortis timore providendo indesinenter agebat. Mortuos pro confessione fidei, quorum pene quotidie acervi fiebant, sollicitè disquirens et colligens sepeliebat. Unde et beati Marcellini papæ ac sanctorum martyrum Claudii et Sirini corpora quæ per triginta sex dies jussu Diocletiani ad terrorem Christianorum in platea jacuerant, noctu veniens cum presbyteris et diaconibus, rapuit, et sepelivit in crypta clara via Salaria cum Dei laudibus.

Assumitur deinde aliquantulum sedato persecutionis fervore in summum pontificem. Gratulatur Ecclesia magnum se nunc tandem habere pastorem, probatum etiam adversum cuncta certamina ac fortissimum propugnatorem. Hæc duo in illo specialiter effulsisse ut scilicet et commissis sollicitè provideret, et hostibus fortiter resisteret, susceptum multo magis probavit officium. Nam quod sollicitus et pervigil in Ecclesiæ administratione sive ordinatione fuerit, declarant plurima ab eo, prout temporis ratio permittebat, salubriter disposita atque ordinata. Sic quippe de eo inter cætera in gestis scribitur: *Hic fecit cœmeterium via Salaria, et viginti quinque titulos in urbe Roma. Constituit et dioceses propter baptismum et pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, et propter sepulcra martyrum. Hic ordinavit viginti quinque presbyteros in urbe Roma, et diaconos duos per mensem decembrium.* Vere magnus disposito, vere providus ordinator familiæ Christi, qui non cogitabat exertos super cervicem inimicorum gladios, nec periculum imminens attendebat, sed velut tranquillâ pace perfruens universa procurando non cessabat, suamque mortem vice omnium impendebat.

Propterea rursus beatus martyr a tyranno comprehenditur, ecclesia in stabulum redigitur, animalia publica in ea congregantur, sub arcta custodia papa stabularius esse cogitur. Desudat per multum tempus in tam laborioso et tam injurioso officio, deservit cum multa patientia animalibus, nudus amictus cilicio. Non ille gladio peremptus, non igne consumptus, non aquis immersus, non præcipitio collisus est, ne compendio finitus laborem requie, dolores gaudiis commutaret. Sed tali est ministerio deputatus, cujus ignominia plusquam ignibus concremaretur, corpus nimia fatigatione attereretur; nec adhuc multo transacto tempore finiretur, horresceret aspectus sordes, odoratus non ferret fetores, carnem durus atque assiduus labor consumeret, fames hinc acriter instans urgeret, illinc nuditas miserias cumularet, et inter multimoda angustiarum genera nequaquam moriens, morte miserius semper deficeret. Ita martyr egregius non tam animalibus quam Christo ministrans, ad illum quem in initio sermonis diximus, ministrantium honorem pervenit, de quo ipse Dominus Christus ait: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (Joan. XII). Ad tantum ergo honorem bene ministrando beatus vir provectus est, ut illuc conscenderet ubi Dei Filius est. Quale vero pro tot angustis gaudium obtinuerit, et ipse Dominus indicat loquens discipulis: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a*

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(251) Id desumpsit Petrus Venerabilis ex libro De Romanis pontificibus Damaso attributo, quod certe stare non potest: nam cum Marcellinus martyrio coronatus sit anno 504 circa extrema Diocletiani

imperatoris tempora; Marcellus vero postquam quinque annis et aliquot mensibus sedisset, obierit anno saltem 510, sedes vacare non potuit per septem annos, sed aliquibus tantum mensibus.

vobis (Joan. xvi). Habent vere nunc sancti tristitiam, non quia mala mundi inviti sustineant, sed quia illa sensus naturaliter molesta fugientes conturbant. Hanc conturbationem sive tristitiam in se ipse Dominus suscipere dignatus, sic in Evangelio ait: *Nunc anima mea turbata est* (Joan. xii), et iterum: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Matth. xxvi). Hanc sancti viri ex carnalibus, ut dictum est sensibus contrahentes patiuntur, sicut in psalmo legitur: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua* (Psal. cxxv). Hanc apostolus Petrus passus est, cui dictum est: *Extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo non vis* (Joan. xxi). Volebat sane Petrus pro Christo pati, qui, si nollet, nec pateretur. Pati, inquam, pro Christo volebat, sed voluntati spiritus carnis infirmitas resistebat, de quo Dominus: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (Matth. xxvi). Hujusmodi tristitiam beatus Marcellus, beati apostoli Petri successor, cum ipso ac cæteris Christi discipulis habuit propter quam gaudio succedente gaudere promeruit.

Videbo, inquit, vos, et gaudebit cor vestrum (Joan. xvi); videbo vos piis clementiæ meæ oculis, videbo vos, non ultra avertens faciem meam a vobis; videbo vos, ut domesticos recognoscendo; videbo vos, labores præteritos remunerando, et in sinu meo ut proprios filios confovendo. Gaudebit cor vestrum nihil in se retinens tristitiæ; gaudebit cor vestrum, non dimidium, sed totum; gaudebit cor, hoc est totus homo vester interior; gaudebit cor, quod solum gaudere potest; gaudebit cor vestrum omni exutum infelicitate, omni repletum beatitudine: *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (ibid.), corde vestro mecum gaudente quod mecum contristatum fuerat, gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Nolite timere ne gaudium, quo vestrum cor replebitur, aliquando a vobis tollatur. Nolite timere ne magnum, quod dabo; gaudium possit quandoque de termino esse suspectum. Non hoc sic incipiet, ut aliquando terminetur; non sic inchoabitur, ut vel post multa sæcula finiatur. Non recedet cum tempore quod datur ab illo qui est sine tempore. Non potest finiri gaudium, quod in se nec initium habet, nec terminum. Ipsum gaudium vestrum ego sum, qui in me id sum semper quod sum. Hoc gaudium postquam adepti fueritis, nemo tollet a vobis, quia me nullus poterit separare a vobis. Ad hoc gaudium post passionum tristitiam hodierna die Marcellus beatus perducitur, et in conspectu regis æterni miles bellicosus post multas victoriarum palmas præsentatur. Nam moritur in egregia confessione martyr et pontifex Dei, et transit de stabulo ad regnum Dei, imitatus in morte sua nativitatem Filii Dei.

Merito, fratres, natalis beati Marcelli nativitati

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(252) In apographo nobis a Cluniaco transmissio hic sermo notatur pronuntiatus in receptione reliquiarum S. Marcelli martyris.

A est proximus Christi, proximus est tempore, quia nec remotus est similitudine, locus enim illius nativitatis loco non est dissimilis istius passionis. In tali namque loco Marcellus mortuus est, in quali Christus natus est. Habuit ibi Christus temporale principium, ubi sumpsit Marcellus non finiendæ vitæ initium. Inde et ibi ei fuit æternus natalis, ubi fuit Christo exortus temporalis; suscepit præsepe infantem nascentem, accipit stabulum martyrem patientem. Palitur summa majestas vile reclinatorium, tolerat summus pontifex sordidum habitaculum. Involvitur vilibus pannis divina infantia, tegitur asperrimis ciliciis damnata innocentia. Fit natus Christus animalibus quæ forsitan aderant spectaculum, fit Marcellus animalibus serviens ludibrium. Nato in præsepi Deo puerō angelicus chorus gloriam in excelsis canit, mortuus in stabulo martyr ad angelorum gloriam hodie pervenit. Pervenit ad gloriam conjunctus supernis civibus, sed relinquit et ipse post se tunc quoque ab angelis nuntiata pacem hominibus. In eo namque quasi defatigatus furor hostium conquievit, et fervor camini, Ecclesia jam purgata, refriguit. Fuit enim in apostolicis pontificibus solus qui in paganorum principum persecutionibus martyrii confessione meruit coronam extremus. Primus in illis martyrii certamen Petrus inivit, ultimus in eis illud fortiter dimicans Marcellus finivit, et hoc sine ad principium quod est sine fine pervenit Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

IN VENERATIONE QUARUMLIBET RELIQUIARUM (252).

Solemni, fratres charissimi, et singulari hac die exsultate lætitia, quia singularis vobis per eam datur exsultandi materia. Est quidem sanctorum omnium memòria cunctorum fidelium veneratione communis; sed his quorum sacris pignoribus præsens Ecclesia ditatur, merito ab ea impenditur devotio specialis. Magnum, inquam, est et magnifice prædicandum supernæ munificentiae donum, quo magni et præclari martyris corpore omni argento præclarius, omni auro fulgentius, omni margarita pretiosius voluit decorare hoc templum. Jure in hujus beati corporis exceptione olim præsentem Ecclesiam contigit gavisam fuisse, in cujus beatæ animæ susceptione certum est eam quæ sursum est Jerusalem exsultasse. Merito etiam hodie ei congratulamur in terris, cui omne supernum collegium sempiternæ collætatur in cælis.

Fulget jam, secundum Salvatoris promissum, sicut sol in regno Patris sui (Matth. xiii), illius justi spiritus, cujus hæc corporalis fabrica beatos continet artus. Divisit velut æquis partibus divina dignatio martyrem suum, ut ejus sibi animam inter

beatorum spirituum agmina retineret, et sacri corporis venerandas reliquias fidelibus adhuc in carne viventibus mirabili largitate donaret. Sed dicit aliquis: Quid prodest exanimata corpora honorare? quid confert ossa sensu carentia hymnis et laudibus frequentare? absit, absit a cordibus fidelium, fratres, hujusmodi cogitatus, recedat a sanctis servorum Dei meditationibus, longe fiat ab animis Deo appropinquare quærentibus! Fuere quondam impii qui ista meditati sunt et a Christi corpore, hoc est ejus Ecclesia, impietatis suæ merito ut membra inutilia præcisi sunt. Unde ut noverit Spiritui sancto præsentis solemnitate unita congregatio vestra quam digne ac salubriter sanctorum corpora seu reliquiae a fidelibus honorentur, Scripturæ sanctæ auctoritas in medium adducatur.

Creator quippe spiritualium et corporalium rerum Deus, cum spiritus angelicos et hanc corpoream mundi molem omnipotenti dextera creavisset, ad ostendendam ineffabilis artificii sui gloriam, humanam creaturam condidit, et eam excellenti operatione ex spiritu rationali et carne compegit, in qua tanto mirabilior ejus demonstrata est sapientia, quanto potentius ex diversis substantiis una hominis est conjuncta persona, quam mirandæ conjunctionis unitatem propria et unicuique naturæ congruenti felicitate magnificans, et animæ justitiam et corpori contulit incorruptionem. Quod ultimum ex primo pendere decrevit, ut libero vigente arbitrio, quandiu a spiritu servaretur justitia, nulla carnem premeret corruptela. At ubi justitiam ille desereret, statim ista corruptionis legibus subjaceret. Abiecit deinde infelix homo hanc quam dixi sibi impositam legem justitiæ, et mox subjectus est durissimæ quam nostis corruptionis miseriam, et qui a benigno Conditore factus fuerat ad sempiternam gloriam, ad debitam prolapsus est impietatis poenam.

Venit demum tempore ante sæcula præordinato, et humanæ reparationi congruo Dei Filius, et nec desertus deserens, nec contemptus contemnens, bonitate qua creaverat hominem, recreavit, et animæ justitiam, corpori incorruptionem restituit. Sed quia, ut prius instituerat, ordo hic erat, ut spiritus justitia præiret, et carnis per spiritum justificatæ incorruptio succederet, statuit totius hominis justificationem in hac vita præcedere, et in futura carnis incorruptionem seu immortalitatem differre. Quod et ad fidei meritum conservandum fieri voluit, quod nullum tunc esset, si quod in futuro nobis Christus promisit, in præsentis conferret, nec jam speraremus in supernis promissionem regni cælorum, qui jam eam nobis collatam crederemus in partibus imis terrarum. In æterna igitur quam per fidem expectamus vita, quam promisit ille qui est fidelis in verbis suis spiritus justorum, beate interim vivere novimus, et in eorum corporibus resurrectionem cum immortalitate et omnimoda incorruptione futuram expectamus. Inde ea causa est,

A quod eorum corpora, qui in hac vita justitiam coluerunt, non ut exanimata abjicimus, non ut insensata contemnimus, non ut brutorum animalium cadavera conculcamus, sed ut templa Domini veneramur, ut palatia Divinitatis excolimus, ut margaritas æterni regis coronæ adaptandas recondimus, ut resurrectionis vasa beatis animabus iterum conjungenda devotione qua possumus conservamus, non quo ad ea reparanda nostro Deus indigeat adjutorio, sed quo solito benignitatis suæ more salutis nostræ avidius nostro erga sanctos suos delectetur obsequio.

B Duplex in tali exhibendo sanctis corporibus honore ratio est, quoniam et per justitiam olim Deo famulanti membra servorum Dei in hac vita famulatu digna esse judicantur, et ad æternam beatitudinem resurrectura a fidelibus minime dubitantur. Ea spe etiam sancti antiqui corpora sua vesuorum minime contemnenda putarunt. Hac fiducia magni patriarchæ Abraham, Isaac et Jacob speluncam duplicem elegerunt. Hoc intuitu Joseph ossa ejus mandato ab Ægypto referentes in repromissionis terra posteris sepelierunt. Nam licet nihil obstaret inter meritis impares sepeliri, placuit tamen a se junctis fide, a disgregatis moribus ipso quoque corpore separari, in qua discretionem corporum varia docebant esse intelligenda pro meritis discrimina animarum. Ostendit et ipse Deus magni apud se pretii esse servorum suorum corpora, quando Veteris Testamenti legislatorem Moysen nequaquam per hominum manus more consueto passus est in sepulcro reponi, sed per semetipsum eum dignatus est sepelire: *Mortuus est, ait Scriptura, Moyses servus Domini, et sepelivit eum Dominus (Deut. xxxiv).* In quo facto licet, ut quidam sentiunt, idololatriæ occasionem populo ad mala proclivi abstulerit, quod tamen in conspectu suo cadaver justis mortui minime viluisset monstravit.

C Salvator etiam ipse, quem idcirco humanis obsequiis sepeliri oportebat, ut cum eum propriis oculis vere mortuum et sepultum homines cernerent, vere quoque a mortuis resuscitatum minime dubitarent, quid passioni proximus in Bethania dixerit, quid de reverentiæ obsequio sanctis corporibus impendendo senserit, sui exemplo edocuit. Venit mulier nardo pretiosa, pedes super angelorum verticem constitutos perunxit, et sic demum ad sacrum caput se erigens, fracto alabastro quo continebatur, in Christi corpus totam summam charissimi liquoris effudit: quo effuso, odore unguenti domus impleta est, et proditoris adhuc occulta impietas palam ostensa est: *Ut quid, ait, perditio hæc? (Marc. xiv.)* Et secundum Joannem: *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis et datum est egenis? (Joan. xii.)* Ad quem Dominus: *Sine illam, ut in die sepulture meæ servet illud (ibid.).* Et juxta Matthæum sub plurali discipulorum numero: *Quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me; nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non*

semper habebitis; mittens enim unguentum hoc in A bra, sed et membrorum esse tegmina veneranda
corpus meum, ad sepeliendum me fecit (Matth. sacrorum, ut sciatis quam pretiosa sint in conspe-
*xxvi).*ctu Domini etiam post mortem justorum corpora,
 quando virtus divina ipsa eorum honoranda esse
 indicat indumenta. Testis est horum quæ dicuntur
 ipsius Domini vestis, cujus simbriæ contactu a san-
 guinis fluxu mulier sanata est, et per quam divini
 corporis virtus occulta palam omnibus demonstrata
 est: de qua virtute ait ipse Dominus: *Ego sensi*
virtutem de me exisse (Luc. viii). Veniat et aposto-
 lus Paulus ad hoc astruendum, a cujus corpore de-
 ferebantur super languidos sudaria vel semicinctia,
 et recedebant, ut Scriptura loquitur, ab eis lan-
 guores, et spiritus nequam egrediebantur (*Act. ix*).
 Quod si et de veteri Scriptura aliquid assumamus,
 videbitis Eliseum pallium rapuisse Eliæ, quod ei,
 dum in sublime ferretur, ceciderat, secum feren-
 tem, et Jordane eadem veste ter percusso dicen-
 tem: *Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? (IV Reg. ii.)*
 qua percussione Jordane diviso, et siccum iter
 prophetæ inter fluentia patuit, et sancti illius egre-
 gium meritum nobili per vestem ejus miraculo
 divina potentia declaravit. Sunt igitur vestes vel
 similia quæque sanctorum non propter se, sed pro-
 pter sanctorum ipsorum honorem venerabiles,
 sicut et ipsi non ex se, sed ex ejus cui obsecuti
 sunt dono facti sunt in cœlo pariter et in terra
 insignes.

Ecce audistis, fratres, beatam mulierem sancta
 Dominum devotione ungentem, avarum proditorem
 bono ejus operi detrahentem, benignum Salvatorem
 bonum opus magnifice prædicantem: *Bonum*, in-
 quit, *opus operata est in me*. Quis ultra sentire au-
 deat bonum opus non esse beatorum mortuorum
 corpora honorare, cum audiat Dominum non mor-
 tui, sed post paululum morituri corporis sui unctio-
 nis honorem magnificis laudibus commendare? *Ad*
sepeliendum, inquit, *me fecit*, unguentum quod cor-
 pori meo infudit non viventi, sed jamjamque mori-
 turo, et sepeliendo impendit, exhibuit ante sepul-
 crum honorem sepulturæ, et quod tunc rebus per-
 turbatis non poterit, moras pati nesciente pietate,
 prævenit. Timuit ne persecutores mei facultatem
 perungendi corporis adimant, et eadem invidia qua
 viventem occisuri sunt, mortuo quoque humanita-
 tis et reverentiæ debitum tollant. Et idcirco quod
 sibi tempore illo non licere timuit, nunc laudanda
 per orbem devotione, ut potuit, fecit. Ideo sequitur:
Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc
Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit
in memoriam ejus (ibid.). Mundus, ait, totus hoc
 bonum opus mulieris hujus audiens collaudabit, et
 quia hoc in mei memoriam et honorem fecit, per-
 petua et ipsa ad sui ædificationem tam beatum opus
 memoria retinebit. Hæc dicens Salvator insipien-
 tium ora obstruxit, cogitatus noxios longe etiam
 post futuros abstulit, reverentiam sacris corporibus
 exhibendam sui corporis exemplo monstravit,
 quando reverentes tam egregie collaudavit.

Quid mirum vero, si caro spiritui inhærens unam,
 ut supra dictum est, unitate sua hominis personam
 perficiens Creatori pariter deserviens, post absces-
 sum etiam animæ honoranda dicitur, cum carnis
 ipsius tegumenta merito veneranda credantur? Sic-
 ut enim subjectum Deo, mediante spiritu, corpus
 ejusdem beatæ subjectionis causa non solum vivens,
 sed et mortuum veneramur, sic quælibet extrinse-
 cus eidem corpori adhærentia, et ipso attactu vel-
 ut a sancto sanctificatâ debito cum honore susci-
 pimus. Consuevit et hoc agere pio affectu Ecclesia,
 et quæ aliquando sanctorum corporum reliquias
 habere non valet, devotionem suam de quantula-
 cunque sacrarum vestium portione exercet. Conso-
 latur tali remedio desiderium suum, ut quæ æternæ
 sanctorum societati toto animi fervore inhiat, esu-
 riam interim suam eorum vestibus sive xeniis pas-
 cat. Refertur hoc totum ad gloriam Dei, cujus judi-
 cio in omnibus concordans Ecclesia ejus, multipli-
 citer studet honorare in terris quos ineffabiliter ab
 illo credit glorificari in cœlis. Et, ut totum quod di-
 citur cœlestis oraculi robore confirmetur, audite,
 charissimi, etiam de his quæ neminem fallit san-
 ctam Scripturam, consulite insuper virtutem di-
 vinam, agnoscetis absque dubio non solum mem-

Exinde namque, juxta Scripturam, in præsentia
 justus vivens in spe, ad cœlestia obtinenda se eri-
 gens, charitate quod credit ac sperat ex parte jam
 retinens, facit quod hic fieri potest, et quem non-
 dum in seipso contemplari potest, eum in sanctis
 suis conspiciat, quosque nec viventes diu retinere
 prævaluit, eisdem mortuis per eorum quamlibet
 parvas reliquias vivorum reverentiam impendat.
 Vivorum, inquam, eis honorem impendat, quos
 apud Deum sempiternæ vivere novit, sicut Salvator
 in Evangelio ait: *Deus non est mortuorum, sed vi-*
vorum, omnes enim vivunt ei (Luc. xx). Vivunt qui-
 dem mali per propriam quam nunquam perdunt
 essentiam; sed singulariter Deo vivunt boni per
 beatam, qua in ipso nunquam carere poterunt vi-
 tam. Hanc quandiu in carne vivant non consequun-
 tur; reconduntur in sinu cœlestium atriorum a Deo
 jam glorificati spiritus, quousque in communi car-
 nis resurrectione, unusquisque proprium ad glo-
 riam recipiat corpus. Quæ corporum gloria qua-
 lis aut quanta futura sit, ab ipso Domino audiamus.
 Nam, cum de justorum resurrectione tractaret, in-
 ter cætera ait: *In resurrectione neque nubent, neque*
nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo (Matth.
xxii; et item: Æquales sunt angelis Dei (Luc. xx), et
filius Dei sunt, cum sint filii resurrectionis.

Eorum quorum corpora, fratres, veneramini,
 quorum cineribus exsultatis, quorum beatis ossi-
 bus aurea sepulcra paratis, filii sunt Dei, æquales
 sunt angelis, filii sunt resurrectionis. Inde eos ut
 filios Dei reverenter suscipitis, et angelis æquales

paribus laudibus extollitis, ut filios resurrectionis in carne propria resurrecturos speratis. Hac spe omni humana re certiores effecti, præsentis martyris ossa non velut arentia contemnitis, sed quasi futura incruptione jam florentia honoratis, ipsumque voce prophetæ exsultantem auditis: *Et refloruit caro mea* (*Psal. xxvii*), et eundem prophetam alio loco dicentem: *Renovabitur ut aquilæ juvenus tua* (*Psal. cii*). Floridam ab ariditate carnem, juventutem a senio reparatam, etsi nondum in martyre vestro conspicitis, his tamen sacris auctoritatibus nullo modo futuram desperatis, unde vobis, ut dictum est, adhuc per fidem, nondum per speciem ambulantes, licet corporalibus vestris oculis vita sanctorum corporum minime pateat, eam tamen consonans utriusque Testamenti auctoritas luce clarius manifestat, quæ apud fideles mentes tantam vim obtinere consuevit, ut non indigeat carnis intuitu cernere, quod ipsam audiunt confirmare.

Habentes igitur, charissimi, auctorem veteris legis ac novæ gratiæ Jesum Christum prius per antiquos sanctos, et postmodum per ipsum resurrectionem carnis et totius humanæ substantiæ glorificationem servis suis promittentem, et eam in suo corpore præmonstrantem, hujus beati martyris corpus, licet ut mortuum teneamus, tamen ut resurrecturum et immortali gloria vestiendum honore debito percolamus. Credamus eum Deo vivere, cui vitam mortemque suam voluit inservire; vivere, inquam, Deo sanctorum corpora mortui quoque prophetæ Elisei corpus indicat, quod cum exanimum fuerit consepulto cadaveri attactu vitali vitam quam amiserat reddidit. Vivere illa Deo innumera ubique locorum miracula probant, quæ illi frequentissima experti sunt, qui ad eorum veneranda sepulera devotis mentibus accesserunt. Vivere illa Deo et Apostolus docet, qui fideles contristari de dormientibus prohibet, dormientes ille non mortuos vocat, quos velut a somno evigilatuos confirmat dicens: *Hæc vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess. iv*). Et alibi: *Corruptibile hoc induet incorruptionem; mortale hoc induet immortalitatem* (*I Cor. xv*). Et Isaias: *Ossa vestra ut herba germinabunt* (*Isa. lxxvi*). Quia ergo præsentis martyris ossa ad vitam æternam resurgentis ut herba germinabunt, quia corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem, quia hoc justi corpus raptum obviam Christo semper cum ipso permanebit, quis non toto affectu in hac vita ducat honorandum quod in futura credit tanti honoris gloria sublimandum? Non enim Salvator verborum suorum oblitus: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan. xii*), non frustra et illud Patri dictum est: *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam* (*Joan. xvii*). Ad eam quippe videndam, hominem, ut supradictum est, ab initio creavit, ad quam conspiciendam martyrem no-

strum per susceptæ carnis mediationem, atque per opera justitiæ reparavit, quod donec Christo ad judicandum veniente fiat, lætantes audite pretiosum corporis membrum, vocem quondam capitis sibi assumentem, et dicentem: *In pace in idipsum dormit martyr et requiescit* (*Psal. iv*); in pace, quam jam spiritus obtinet et in carne sustinet; in idipsum, a quo nec mortuus separat Christum. Dormit expleto mortalitatis somno evigilaturus, requiescit ad requiem sempiternam de præsentibus laboribus transiturus. Unde et sequitur: *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* (*ibid.*), quoniam alieni non transibunt per Jerusalem amplius, nec intrabit in illam omne coinquinatum et faciens abominationem in spe resurrectionis, quam secundum Apostolum promisit non mendax Dominus, qui et in Evangelio ait: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus. Et procedent, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ; qui mala fecerint, in resurrectionem judicii* (*Joan. v*). In hac spe constitutus martyr singulariter, suo tempore in carne glorificandus, et de corpore suo hoc sentire docuit, et quid de ipsis corporibus vestris sperare debeatis ostendit; ad quam spem per fidei patientiam nutriendam, et apostolus Jacobus vos hortatur dicens: *Patientes estote usque ad adventum Domini* (*Jac. v*). Et similitudine subjuncta, ait: *Ecce agricola exportat pretiosum fructum tempore, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum* (*ibid.*) Qui exponens quod dixerat adjecit: *Patientes estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit* (*ibid.*).

Hunc adventum Domini et ipsi in corporibus vestris glorificandi securi expectabitis, si cordibus vestris in superni desiderii affectu confirmatis, sicut martyris corpus, sic exempla tenetis. Delectabitur tunc vestro obsequio, cum viderit non deviare vos ab itinere suo. Iter ejus Christus fuit, per quem constanter gradiens, ad ipsum pervenit; ad ipsum, inquam, humilitate ad ejus celsitudinem, laboribus ad requiem, ignominia ad gloriam, morte demigravit ad vitam. Ad hanc vitam et vos martyrem vestrum sequendo ad Christum pervenietis, quem et nunc magnum refugium et singulare præsidium apud ipsum habetis. Amplectitur plenus ea qua jam fruitur charitate Deo, amoris vestri obsequium, cui debita merces deesse non poterit, nisi forte (quod absit!) amor ipse defecerit. Recogitate erga sepulti Domini corpus irrequietum sanctarum mulierum amorem, quia quæ mortuo instanter obsecutæ sunt, resurgentes gloriam primo cernere meruerunt: non terruit eas Judaica feritas, non præsidis potestas, non custodum immanitas, sed per metuendam sævitiam persecutorum ad Domini intrepide pervenere sepulcrum, quibus et visio angelica ex resurrectionis Dominicæ ostensa est magnificentia, ut nihilominus perfectam se gaudeant recepisse beatitudinis mercedem, quæ perfectam toto cordis affectu exhibuerant servitutem. Hæc est enim perfecta sæ-

ctorum remuneratio, quando mundis cordè sancto-
rum angelorum societas redditur, et ipsius Domini
plena æternæ societatis præsentia exhibetur. Hanc,
vos charissimi, sanctarum mulierum exemplo pro-
mereri poteritis, si sanctis corporibus, quæ a Deo
vobis commissa sunt, devote servientes, felicitatis
vestræ perseverantiam ad debitum usque fi-

nem perducere studueritis. Non erit inferior vestri
obsequii remuneratio, si in consimili servitute ob-
sequentium fuerit non impar devotio. Conferet beati
corporis beata servitus angelorum consortium, et
perducet obsequentes ad æternam visionem regis
cælorum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et
regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

RHYTHMI, PROSÆ, VERSUS ET HYMNI.

*Adversus calumniatores carminum sui Petri Picta-
viensis defensio, -cujus argumentum est :*

Egregius pro vate suo dux ipse perorans.
His jaculis rabidam confodit invidiam.

Audio, livor edax, te sacrum rodere carmen,
Verbaque divino carpere scripta stylo.

Sed scelerata licet tibi sit nequamque voluntas,

Commoda cunctorum quam tua damna putas;

Vix tamen id de te quisquam mihi credere suadet,

Nec quemquam tantum credo putare nefas,

Ut vitreum rivum puro de fonte manantem

Tentaris cæno turbificare tuo,

Sed quid erit? cogor veraci credere famæ,

Certis indiciis quæ sua dicta probat.

Ha! scelus, et stygio mens submergenda profundo,

Quæ vomit ex antro dira venena suo.

Manes tartarei talem compescite linguam,

Quæ demens potuit verba nefanda loqui.

Oris de barathro tractam per frustra secate,

De qua mox læciat flamma vorax cinerem.

Infandæ vocis fauces arctate meatus,

Et tumeat guttur, ne sonet illicita.

Audiri timeas, o vox indigna, sonare,

Consulo, deficias, teque silendo premas.

Humanas strepitus ne talis polluat aures,

Communes usus spiritus ipse nega.

Sed nunquid fieri tanti queo criminis ultor,

Cum mage districto iudice res egeat?

Aut fragili calamo crimen tentabo piare,

Ungula quod ferri radere vix poterit?

Nec mihi communis nocet hæc injuria tantum,

Sed magis egregios respicit illa viros.

Vos, o præcipui cultores philosophiæ,

Quos eadem propriis educat in laribus,

Ejus vos, inquam, pasti, potique papilla,

Quos proprio studiis imbuunt ore sacris;

Naso, Flaccæ, Maro, Stati, Lucane, Boeti,

Et quicumque tuum carmine comis opus.

Hujus livoris vos tangere mucro minatur,

Hic et de vestro cogitat exitio.

Vos etenim lædit, qui lædere non timet illum

Quem vobis socium Calliopea dedit.

Hunc inter reliquos æquali sorte locavit,

Impatiens ut sit cuilibet inferior.

Huic sacer ille chorus concessit sponte cathedram

Sublimem, medio dans residere loco.

Nec me mireris primis æquare sequentes,

Nil tempus meritis demere jure potest.

Nec senibus juvenes sibi displicet æquiparari :

Gloria namque patris filius est sapiens.

Hunc igitur juvenem senioribus æquiparamus,

Hunc quem musa facit patribus esse parem.

Nam nil splendoris, nil ponderis, aut rationis

Præfert plus isto lingua vetusta Patrum.

Lux micat in verbis, gravis est sententia rebus,

Nec se dissociant aut decor, aut gravitas.

Laudibus extollit tollenda, premitque premeunda,

Nec reticenda loquens, nec recitanda tacens.

Flet cum flere decet, gaudet cum prospera poscunt,

Reddens officio congrua quæque suo.

Scribere sic didicit, ut pingere cuncta putetur

Non ars ulla sibi, non color ullus abest.

Verba quidem resonant, sed res magis esse videntur.

Pulchra velut vivum fingit imago virum.

Auribus hæc oculi rapiunt, audita videntur :

Nec nisi mirari quisque legendo potest.

Pennula multicolor varios miscendo colores

Æquor adumbratum mox rutilare facit,

Omnia conveniunt assumptæ materiei,

Nec quisquam melius dicta loqui potuit,

Felix materies tanto sublimis honore,

Quam dignata fuit musa superna loqui.

Vilis eras, tenuis, languens, et tota jacebas :

Sed quod laudis habes aurea lingua dedit.

Nec tibi cujusquam lyra se præponere tentet :

Nam nunquam cecinit dulcius ulla melos.

Et quia nil melius in carmine cernitur ullo,

Hoc qui non recipit, cuncta simul perimit.